EXPLICATIO
CATHOLICORUM SYSTEMATIS
DE
INTERPRETATIONE
LITERARUM SACRARUM.

COMMENTATIO THEOLOGICO-POLEMICA.

SCRIPSIT

JOANNES ALZOG,
S. S. THEOLOGIAE DOCTOR.

EXPLICATIO
CATHOLICORUM SYSTEMATIS
DE INTERPRETATIONE
LITERARUM SACRARUM.

COMMENTATIO THEOLOGICO-POLEMICA.

SCRIPSIT

JOANNES ALZOG,

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR.

MONASTERII,

EX LIBRARIA J. H. DEITERS.

MDCCCXXXV.

Imprimatur.

Monasterii die 23ma Februarii 1835.

CASPARUS MAXIMILIANUS,
EPISCOPUS MONASTERIENSIS.

ARGUMENTUM.

§. 1.

Saepenumero hanc mente habui cogitationem, quomodo inter Catholicos et Protestantes controversiae optime dirimi animique reconciliari queant. Quam quidem ad rem utilissimum semper visum est, ab utraque parte disputationem de sacrae scripturae auctoritate atque explicatione primo loco institui. Quae sane, ut Bellarmini verbis utar, quaestio est gravissima, et ex ea quasi dependent omnes controversiae. 1) Quam viam sacrosanctum Concilium Tridentinum nobis quoque indigitat, in decretis contra Protestantes de sacra scriptura exordiens. 2) Nam omne fere discrimen ex Principiis,

1) Cf. Bellarmini disputationes de controversiis christianae fidei adversus huius temporis Haereticos l. III. c. 3. pag. 135. ed. Parisiis an. 1608. Vide eiusdem operis praefationem sub finem.

2) Pallavicini historia Conc. Trid. l. VI. c. 11. n. 4: „Deinde, quo res per futuram sessionem statuendae discuterentur, idem legatus (Montanus) exposuit: optimum sibi factu videri, ut primo loco recenserentur ac reciperentur libri canonici sacrarum literarum, quo certo constaret, quibus

in sacra scriptura explicanda adhibitis, oritur, quorum alia sequuntur Catholici, alia Protestantes. Summis viribus atque assiduitate posteriores sua ad hunc usque diem defenderunt, et adhuc vindicare student: multorum de hac re disserentium numerus testis est; dum priores, viris, quorum memoriam lubenter revocamus, vita defunctis, Bellarminum, Melch. Canum, Bossuetum, Natalem Alexandrum aliosque respicio, haud simili animi contentione nec viribus pares, ut ea ecclesiae catholicae principia defenderent, in arenam descenderunt. Recentissimo vero tempore nonnullae huc pertinentes observationes gravissimae allatae sunt, quae mihi in hac disputatione scribenda, quod animo ut debeo grato fateor, magno fuerunt usui et adiumento. 3) Quum iam

---

armis esset in Haereticos dimicandum, et in qua basi fundanda esset fides Catholicorum."

Eandem sententiam ut probabilem ac necessariam laudat Nitschius in recensione libri, a Moehlero conscripti, cui titulus: „Symbolik oder Darstellung der dogmatischen Gegensätze etc." Auctori vitio dat, quod hunc tractatum non in initio, sed in fine libri posuerit: „Die Anordnungsweise des Buches, inquit, ist ganz dazu geeignet den Protestantismus von vorn herein unverständlich zu machen, weil man mit den wirklichen Lehren schon bekannt gemacht wird, ehe man noch etwas von den Erkenntnißgesetzen und Glaubensgründen erfahren hat. Erst im vorletzten Capitel wird vom Gegensatze des Schriftprincips und der Tradition gehandelt." Theol. Studien und Kritiken von Ullmann und Umbreit. 1s Heft. Jahrgang 1834.

3) Moehlerus in libro modo laudato cap. 5. et in libello, qui inscriptus est: Einheit in der Kirche etc. cap. II. et

de hac re denuo disputare statuissem, non haesitavi, quam disquisitionis viam persequi oporteret. Etenim Concilium Tridentinum principia ecclesiae catholicae in explicanda sacra scriptura accurate constituit, quae quidem diligenter explicare atque contra adversariorum calumnias defendere mihi proposui. Quod quum praestitum fuerit, non alienum a me esse putabo, sacrae scripturae interpretem, qualis esse debeat secundum Principia ecclesiae catholicae, comparare cum illo, qualem eum in Protestantium ecclesia videmus. Ex quo duplicem percipere velim fructum; ut Catholicorum nempe rationem sacrae scripturae interpretandae ad sensum verum ac genuinum inveniendum valde aptam vel necessariam demonstrem; deinde, ut refutatis Protestantium contrariis argumentis, ad animos reconciliandos aliquid conferram. Iam vero res latior est, quam ut dissertationis forma tam copiosi ac multiplicis argumenti partes omnes possint evidenter pertractari. Huc accedit, quod ad hanc quaestionem bene accurateque solvendam vires haud exiguae, quibus ego omnino destituor, necessario requiruntur. Cum igitur pro virili parte de hoc argumento disputavero, multum, benevole

---

cap. III. — Gratz: Apologet des Katholicismus. 1s Heft: über die Grenzen der Freiheit, die einem Katholiken in Erklärung der h. Schrift zusteht. — Frint's theologische Zeitschrift, Jahrgang 1812, 13: Aussprüche des christlichen Alterthums über die richtige Erklärung der heiligen Schrift, von Pletz. — Neue theologische Zeitschrift von Pletz: über die Anwendung der biblisch hermeneutischen Regel: „Beachte die analogia fidei," von Dr. Kozelka. 5r Jahrgang. 6s Heft. 6r Jahrgang. 1s, 2s, 3s Heft.

lector, invenies, quod accuratius ac multo subtilius pertractatum exspectaveris. Iam sat erit, maiores ad pugnam excitasse vires; quod ut fiat, ex animo opto, et optare nunquam desistam, nisi Protestantes non minus una fide quam uno eodemque Dei amore cum Catholicis intime coniunctos esse cognoverim.

§. 2.

Antequam vero laborem subimus, necesse erit S. Concilii Tridentini decretum supra laudatum idcirco proferre, quia ex eo omnis dependet disputatio. Legitur sessione IV. Libris, quos Sacrosancta Synodus tanquam Canonicos accipiendos ac venerandos laudat, enumeratis, verba ad quaestionem nostram pertinentia exstant haec:

«Insuper eadem Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus, et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.

Praeterea ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione

Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat; etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent.»

Tres potissimum in hoc decreto exstant res, typis insignioribus impressae, quas adversarii semper urgere solent. Primum enim auctoritatem Vulgatae tributam male intelligunt, deinde in explicanda sacra scriptura nec ecclesiam iudicem agnoscunt, nec ad consensum Patrum, ut normam interpretationis, respici volunt. De quibus singulis itaque erit disputandum. Disputatio a nobis instituenda in tria igitur capita distribuetur.

Caput I.

De Vulgata ut authentica adhibenda in libris sacris explicandis.

§. 3.

Ante omnia admonendum putaverim, tam varias esse de hac re theologorum sententias tamque discrepantes, ut alii contenderint, hoc decretum attulisse multum utilitatis, alii vero omnem perversitatem maximumque doctrinarum detrimentum ex eo derivare non dubitaverint. 1) Quae dissensio inde

1) Cf. „Dissertationes historicae, criticae chronologicae in s. scripturam auctore Matthaeo Petitdidier presbytero et

mihi orta esse videtur, quod theologi, decreti sensu et praecipue verbo «authentica» non satis intellecto, tunc temporis res nequaquam perspexerint. Necesse est igitur ante definire, quid significet verbum «authenticum» aut potius quid scriptura seu interpretatio authentica, quibus verbis coniunctum hic exstat. In genere scripturam authenticam, opinor, vocamus, si ea, quod ad formam et materiam attinet, talis, qualis ab auctore ipso profecta, exstat, ideoque auctoritatem habet indubitatam et legitimam, qualia sunt instrumenta, quae vulgo dicimus originalia, exemplis sive apographis opposita. 2) Deinde et ea scriptura, quam, ut a translationibus discernatur, archetypum appellamus, authentica nominatur. Testis est Tertullianus in libro de monogamia. Capite XI. «sciamus, inquit, non sic esse in graeco authentico, quomodo in usum exiit per duarum syllabarum aut callidam aut simplicem eversionem. 3) Tertulliani opinio est, textum graecum (Pauli Apostoli) ab interprete male redditum esse. Tertio loco authentiae praedicatum scripturae alicui tribui solet, quae vel in rebus essentialibus tantum vel in levioribus quoque integra habetur. Satis liquet, nec primam nec secundam significationem versioni nostrae vindicari posse; ex ultima vero versionem authenticam eam esse habendam statuimus, quae

---

Monacho Bened. Parisiis 1699." Dissertatio X. p. 85.: „Nonnullae etiam Catholicorum inter se dissensiones," et Leander van Ess: „Pragmatisch-kritische Geschichte der Vulgata," praecipue pag. 249.

2) Haec vox enim a iurisprudentia sumta est.

3) Ed. Rigaltii. Venetiis 1744. pag. 532.

textui originali in rebus gravissimis saltem respondeat; nam ut in levioribus quoque archetypo plane conformis reperiatur, nullo modo exspectari potest. Iam vero certissimum est, praecipua sacrae scripturae argumenta fidei morumque regulis praeceptisque contineri; itaque S. Concilii decretum ita erit intelligendum, ut res fidei et morum secundum Vulgatam authenticam i. e. textui originali his in rebus congruentem explicentur, et ut nemo eas sic definitas quovis praetextu reiicere audeat vel praesumat. Hic est decreti sensus, cum verba sola respexeris, rationibus, ex quibus datum sit, plane omissis, quarum infra mentionem faciemus. Quam praerogativam Tridentini Patres Vulgatae prae omnibus latinis editionibus, quae tunc circumferebantur, et ideo tribuerunt, quia una cum hoc decreto statuerunt: «ut posthac haec ipsa vetus et Vulgata editio quam emendatissime imprimeretur.»

§. 4.

Illum laborem viri doctissimi, Paulo III., Pio IV. et V. et Gregorio XIII. Pontificibus, subierunt, absolvere vero Sixto V. demum contigit. Vir hic sollicitudine singulari ac diligentia qua fieri potest maxima huic operi suos omnes conatus, omnes cogitationes omnesque curas impendit. Ipsum audiamus: «Quum primum ad Apostolicam beati Petri sedem divina nos miseratio, meritis licet imparibus, evocavit, nihil tandem antiquius habuimus, quam ut primo quoque tempore optatissimam istam Vulgatae editionis emendationem aggrederemur.» 4)

---

4) Cf. Bulla: „Aeternus ille conditor ac moderator Deus etc.“

Admonere placet, qualis huius editionis emendandae ratio fuerit. Bulla laudata eam ita fere describit: «Viros complures doctos, qui sanctarum scripturarum, sacrae theologiae, multarumque linguarum scientia, ac diuturno variarum rerum usu, acrique, cum aliquid discernendum est, iudicio ac solertia praestarent, delegimus, ut in germana sinceraque sacri textus editione perquirenda strenue laborarent nobisque adiuncti forent. — Quorum labor potissimum fuit in consulendo (divers. lection.); noster autem in eo, quod ex pluribus esset optimum, deligendo: ita tamen, ut veterem multis in ecclesia abhinc saeculis receptam lectionem omnino retinuerimus. — Id vero ad germanam editionem constabiliendam praesidium sicubi desideratum est, tunc sanctorum Patrum veterumque expositorum enarrationes, quibus diversa scripturarum loca et libros illustrarunt, subsidio fuere: in quibus, quidquid e re nostra observatum fuit, id in huius operis partem adscitum est. In iis tandem, quae neque Codicum neque Doctorum magna consensione satis munita videbantur, ad hebraeorum graecorumque exemplaria duximus confugiendum. — Laudabilem itaque S. Patrum consuetudinem religiose secuti sumus, dum in iis, quae apud Latinos ambigue dicta, seu variata habentur, hebraeae graecaeque linguae fidem et codices inspeximus; sed ne id licentius fieret, quam aequum erat, solers cautio adhibita fuit.» Studium enim et instituti ratio erat, primigenii textus Vulgatae verba restituendi ac reservandi; novam ut cuderent versionem non meditabantur.

Qua ex causa alio eiusdem Bullae loco admonitio exstat: «neque ignoramus, multos esse, qui plerasque latinae huius editionis voces ac locutiones proprie aut eleganter aut perspicue aut breviter aut copiose magis, aut tamquam verbis ad verba demensis, a Latino interprete verti potuisse existiment. Verum de his minuta nimium, et angusta concertatio videtur: neque enim tanti sunt, ut non iis et antiquioris ecclesiae religio, et S. Patrum iure anteponatur auctoritas.»

Eodem fere argumento Joannes Boysius, vir ecclesiae Protestantium doctissimus, usus est, tam variis s. scripturae versionibus, quae tunc temporis circumferebantur, fortiter resistens: 5) «Si nusquam discederetur a vetere interprete (Vulg.), inquit, nisi ubi necesse est, nusquam autem necesse est, nisi ubi sensu incolumi verba eius retineri non possunt, non tanta esset inter illum (Erasm.) et alios dissonantia, sed revocarentur multa, quae posteriores interpretes reiecerunt. Non male itaque collocaret quis operam, si veterem interpretem daret iis duntaxat locis interpolatum, ubi a Graecis sic recedit, ut necessario sit deserendus.»

§. 5.

Licet vero studium maximum, maximaque diligentia in editione Vulgata emendanda adhibita esset, ea in publicum emissa non tanto excepta est applausu, quantus exspectabatur. Permulta enim

---

5) Cf. collat. vet. interp. cum rec. ad locum apud Matth. cap. 4., apud Richardum Simonem in libro illo: histoire critique des vers. du N. T. Rotterd. 1690. pag. 250.

in illa perperam mutata castigabantur, quam ob causam Gregorius XIV. hanc editionem irritam declarans exemplaria ulterius promulgari vetuit, eamque denuo recognitam iterum imprimendam curavit. Quod vero biennio post, Clemente VIII. auctore, finitum esse scimus anno 1592. In fronte habet haec nova editio Sixti V. Bullam iam laudatam et (Bellarmini) praefationem ad lectorem, quae emendandi rationem adhibitam nos accuratius docet. 6) Haec autem eadem fere est, quam Sixtum V. secutum esse audivimus. «Quamvis vero, auctor inquit, in hac bibliorum recognitione in codicibus manuscriptis (Vulg.), hebraeis graecisque fontibus, et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata lectione sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt,

---

6) Haud defuerunt, qui malitia ducti differentiam Sixti V. et Clementis VIII. Vulgatae editionis ita urserunt, ut omnem excesserint modum; quos vero Bukentopius et Bernardus de Rossi, quorum iudicium nemo vir doctus contemnit, bene refutaverunt. „Nulla est, ait prior, in utroque Pontifice repugnantia, nulla in utrisque bibliis alia credendi aut agendi, nulla substantialis diversitas, sed accidentalis solummodo, quidquid James et imitator eius Amama insolentissime obiiciunt. Cf. opus quod inscriptum est: lux de luce ad L.. III. p. 316. Simili fere modo et posterior iudicat: omnes, inquit, differentiae, quae Sixtinam inter et duas Clementinas reperiuntur, criticam tantum respiciunt, minimeque favent vel tuentur odiosum consilium, quod James et Amama in iis colligendis habuerunt.“

tum, quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam S. Hieronymus non semel admonuit: tum, quod facile fieri posse credendum est, ut maiores nostri, qui ex hebraeis, et graecis latina fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum aetatem ad nos pervenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo minus puri atque integri evaserunt; tum denique, quia sacrae congregationi amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris, ad hoc opus a sede Apostolica delectis, propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare; sed ipsam veterem ac Vulgatam editionem latinam a mendis veterum librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, suae pristinae integritati, ac puritati, quoad eius fieri potuit, restituere, eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur, iuxta Concilii Oecumenici decretum, pro viribus operam dare.»

Haec vero eo potissimum praemittenda fuerunt, ut, de quo disputaturi simus, omni ex parte dilucide perspici possit.

§. 6.

Sed iam ad instituta pergamus. Paragrapho tertia ex significatione vocis authentiae cognovimus, S. Concilii Trident. Patres, postquam Vulgatam in rebus, quae ad fidem moresve spectant, textui originali conformem declaraverant, statuisse, ut ex ea potissimum prae omnibus latinis editionibus doctrina fidei et morum hauriretur. Nunc vero in eo sumus, ut causas decreti proponamus. Quod cum factum

fuerit, eius sensum accuratius explicare praestabimus. Quam quidem ad rem necesse erit historiam consulere. Duplex vero S. Conc. Trid. historia exstat: prioris auctor est Paulus Sarpius, posterioris Palavicinius. 7) Quod de quaestione nostra memoriae prodiderunt, huc fere redit 8): «constitutus fuerat privatorum theologorum coetus, qui coram legatis expenderet, quae ad ipsorum doctrinam spectarent, eaque postea satis digesta referrentur ad Patrum congressus tam peculiares quam generales. Circa sacras scripturas iam quatuor praecipue abusus observatos nec non excogitata remedia ad coetum retulerunt, quorum primus erat, tanta versionum varietas, qua divina verbi veritas reddebatur incerta. Alter fuit mendorum copia, quae biblia tam latina, quam graeca et hebraica contaminaverant. Malo priori visum erat occurri posse unica ex cunctis versionibus tamquam legitima constituta; ea videlicet, quae maximam obtinebat auctoritatem ex ecclesiae usu communi, adeoque Vulgata nuncupabatur. Incommodo posteriori non aliter dicebatur prospici posse, quam si Pontifex ea denuo diligenter correcta typis edenda curaret, eorumque exemplar singulis episcoporum sedibus traderet.»

7) Paulus Sarpius livre second chap. 43—60. trad. par Courayer. Basel. 1738. Pallavicini lib. VI. cap. XI. usque ad eiusd. lib. fin. ed. Antverpiae 1670. III. Tom. in quarto. Ille animi acerbitate incensus res gravissimas saepe malitiose pervertit, quas hic ut posterior castigatas emendavit; quo fit, ut ad verum perscrutandum utrumque consulere debeas.

8) Pallav. VI. cap. 12. n. 2. 3.

§. 7.

Sed et alios illius aetatis viros doctos nominare possumus, qui ingentem numerum tam variarum quam dissonantium versionum et doleant et castigent, quos idcirco laudabimus, ne Palavicinii testimonium suspiciosum aut Trident. Patrum querela videatur immodica.

Apud Lutherum quodam loco legitur: «per tot versiones incertiores fiunt lectores quam antea fuerunt,» et alibi: «si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, ut propter diversas scripturae interpretationes, quae nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem Concilii decreta recipiamus atque ad ea confugiamus.» 9) Beza vero conqueritur: tot esse interpretes, qui non tam vertant quam pervertant; ut, nisi audaciae eorum occurratur, futurum sit intra paucos annos, ut ipsarum quoque rerum pernicie depellamur. Non mirum ergo, si ei periculo occursum volunt ecclesiae praesides, quod optime fiet, si ei fidas versiones subsistant: quae cura nunc in Gallia suscipitur. 10)

Uberrime vero de hac re loquitur Rich. Simon in libro, qui inscriptus est: histoire critique des versions du N. T., pro eo, quo utebatur scribendi consilio. Verba ipsius sunt: On ne vit pas plûtôt fleurir l'étude de belles lettres dans l'Europe, que ceux qui avaient quelque connaissance de la langue grecque et de la latine, commencèrent à avoir du mépris pour l'ancien interprète de l'église (Vulg.) —

---

9) Cf. de veritate corporis Christi contra Zwinglium.

10) Vide Grot. Rivet. Apol. discuss. pag. 728.

et à reformer les vieilles expressions pour les rendre plus latines et plus Ciceroniennes. [11]) Et alio loco: Le dernier siècle a été très-fécond en versions de l'écriture Sainte dans l'église d'Occident. Quelques savans hommes, qui avaient appris la langue hebraique, crurent qu'ils pouvaient faire sur le texte hebreu une version de la bible plus exacte que l'ancienne Vulgate latine, attribuée à St. Jerôme. C'est ce qui fut cause, qu'on vit en très-peu de temps un grand nombre de traductions assez differentes les unes des autres, bienque tous prétendissent, qu'ils traduisaient la bible sur le même original hebreu.» [12])

Quibus perpensis non miratus fueris, quum in Sixti V. bulla laudata illius temporis pestem variarum versionum ita fere descriptam legeris: «verum callidissimus ac nequissimus humani generis hostis nullum non movit lapidem et tentavit, ut sacrorum quaedam corruptissimae bibliorum editiones prodirent, atque ita impietas sub pietatis figura delitesceret ac populis scoria pro argento, fel draconum pro vino, pro lacte sanies obtruderetur. Cumque non in haereticis tantum, sed in Catholicis etiam quibusdam, tametsi consilio dissimili, subortum sit nimium quoddam nec plane laudabile studium, et quasi libido scripturas latine interpretandi: idem malorum omnium artifex Satanas per illos, licet nihil tale cogitantes, ex hac ipsa tam incerta, ac multiplici versionum diversitate et varietate sumpta occasione sic miscere omnia, atque in

11) Cf. chapitre XXI.

12) Cf. Histoire critique du V. T. liv. second, chap. XX.

dubium revocare, et, si fieri posset, rem eo perducere contendit, dum scripturarum diversi interpretes aliam atque aliam formam ac speciem induunt, nihil in iis certi, nihil rati ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas sine magna difficultate reperiri posse videretur, ita ut hoc seculo valde timendum fuerit, ne in priscum illud editionum Chaos rediremus, de quo beatus Hieronymus inquit: ««apud latinos tot sunt exemplaria quot codices,»» et unusquisque pro arbitrio suo addidit vel subtraxit, quod ei visum est, et utique non potest verum esse, quod dissonat.»

§. 8.

Quem abusum penitus tollere valde cupientes S. Conc. Patres multum disputaverunt, quonam modo id optime fieri posset. 13) Magna vero erant in varietate ac dissensione, utrum pro temporis conditione ad textum originalem recurrendum, an sacra scriptura, ut erat usitatum, secundum latinam ecclesiae versionem legenda esset. Sententiae prioris multi se praestiterunt defensores, posteriori autem multo plurimi adhaeserunt, diversi diversis utentes argumentis. 14) Illi in disputando vel hoc asse-

---

13) Cf. Paulus Sarpius l. II. c. 51. pag. 268.

14) Causam, ex qua Patres sententiae priori minus faverent, infra explicabimus. Richardi Simonis testimonium §. praecedente laudatum, quid exinde secutum sit, satis demonstrat. Longe plurimi linguam hebraicam ne labris quidem primoribus attigerant; latina vero locutio, ut ait Pallavicinius, erat universe cognita cunctis hominibus theologiae peritis, adeoque idoneis ferendo de dogmatis fidei iudicio: cumque id per humanam solertiam peragendum

verare non dubitaverunt, versionem, quaecunque fuerit, nec Dei verbum nec infallibilem esse, Caietani verbis innitentes: «Intelligere textum latinum, non esse intelligere verbum Dei, quod errare non potest; interpretis vocem vero erroribus obnoxiam; hinc ab Hieronymo verissime dictum fuit: ««donum prophetandi et libros sacros conscribendi indubitatum proficisci a spiritu s., sed eosdem libros in aliam linguam transferre humanae peritiae opus;»» quibus altera pars, historia docente, ecclesiae antiquae LXX. interpretum, Theodotionis, Symmachi, Aquilae, Hieronymi versiones, earumque auctoritatem, qua gavisae sunt, opponere haud omisit. Licet vero communis esset sententia, Vulgatae editionem cunctis reliquis versionibus esse praeferendam, nihilominus Paccco, ceteras versiones ideo repudiandas postulanti, ad unum fere omnes restiterunt. 15) Versionem unicam uti legitimam agnoscendam quidem esse dicebant, reliquas neque comprobandas neque reprobandas. Satis hoc esse ad obstruenda haereticorum ora, blaterantium, doctrinam Catholicorum legitimam esse non posse, cum libri, quibus ceu fundamentis innitebantur, adulterinis versionibus conflarentur. Sed curandum esse, ut in posterum Vulgata editio quam emendatissime imprimeretur, ne ansa praeberetur haereticis cavillandi, perinde quasi dum reciperetur simul Vulgata, simul etiam declararen-

esset, existimavit Concilium, per eam sibi non licere tunc aliam ex interpretationibus comprobare, quam Vulgatam etc. VI. c. 17. n. 5.

15) Pallav. VI. c. 15. n. 1. 2.

tur ipsius exemplaria tamquam corrupta, liber idem probaretur eadem opera, simulque improbaretur.» Iam vero Patres in Vulgata legitima constituenda consentientes in eo dissentiebant, utrum illa in omnibus partibus an in rebus fidei et morum solummodo authentiae auctoritate digna esset habenda. 16) Quae cum ita disputata essent, inter istas opiniones Andreas Vega Ordinis Franciscanorum mediatorem se praestitit. Qui Hieronymi quidem sententiam probabat, dotem interpretis non esse spiritum prophetiae, aut aliud donum speciale divinum, quod efficiat, ut ille errare non possit in interpretando; laudabat item eiusdem et simul D. Augustini opinionem de translationibus, ad contextum in lingua originali, emendandis: sed addebat, cum his opinionibus non pugnare quod dicitur, ecclesiam habere editionem latinam Vulgatam authenticam. Id enim hoc sensu accipiendum, in ea versione nullum esse errorem fidei aut morum; non autem intelligendum de singulis apicibus, et propriis verborum enunciationibus, quod nulla praestari possit translatione, cum singula idiomata suis propriis dicendi rationibus et excellant invicem et deficiant; editionem Vulgatam longo tot seculorum usu ab universa ecclesia probatam atque in veteribus Conciliis adhibitam et receptam, tuncque compertum, nullum inibi aut in fide aut moribus esse errorem, eademque auctoritate et nunc dignam habendam, approbandamque. Posse quidem eam dici ac declarari authenticam hac mente, ut a quocunque sine periculo, in ullum fidei errorem labendi, legi

16) Sarpius c. 51.

possit; non ut peritiores quique prohibeantur, quominus ad textum hebraeum aut graecum recurrant: sed ut tot dissonantes versiones, quae christianorum animos nonnisi perturbant, coërceantur. Quae sententia a Patribus probata in decretum postea consignata est, quod et Pallavicinius testatur, 17) ita fere disputans: «quod autem Vulgata translatio exemplari primaevo per omnes leviores minutasque particulas conformetur, nec ab illo declinaverit, vel in minutissimis rebus, pro aliis alias exponendo, pia est aliquorum sententia; quam quidem qui respuat, non damnatur ab ecclesia. Etenim, uti dicebam, decretum minus arcte intellectum est ab auctoribus compluribus, qui Synodo interfuere, vel cum iis, qui interfuere, sunt collocuti. Satis nobis sit aliquot adducere; ac primo quidem doctissimum Vegam, qui aderat ea tempestate in Concilio, quique, tametsi inter theologos consiliarios, non vero inter Patres suffragium ferentes recenseretur, fuit tamen magna cum opinione sapientiae auditus. Suum ipse iudicium protulit per eam plane sententiam, quae a nobis explicata est et ab ipso Suavi (Sarpio) refertur: idemque postea in suis libris testatur, Patres id voluisse, et hoc ipsum sibi fuisse a Cervino legato significatum; quod eo adhuc vivente Vega typis vulgavit.»

§. 9.

Ex iis, quae iam fida rerum gestarum memoria cognovimus, intelligi debet, S. Concilii Tridentini

17) Lib. VI. c. 17. n. 10.

Patres contra ambiguitatem versionum latinarum, quae tunc temporis omnia fere dogmata violare minabantur decrevisse, ut ex omnibus illis latinis versionibus Vulgata in rebus fidei et morum archetypo conformis (authentica) habenda in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus adhibeatur, ne fidei unitas diutius perturbata dissolvatur. Quo vero iure id a Concilio factum sit, ex virorum doctissimorum iudicio patet, qui adversariis nostris adhaerentes, in eam minime suspicionem, ac si ecclesiae Catholicae omnino faverent, incurrant. Tres potissimum ex multis laudare placet. «Tutissimum omnium, ait Grotius, iis, qui nec hebraice nec graece didicere, est Vulgata versio, quae nullum habet malum dogma, sicut tot seculorum et gentium consensus iudicavit.» 18) Qua maiorem adhuc laudem versioni nostrae tribuit et theologus eruditissimus et circa artem criticam acutissimus Michaelis: «Praeiverat, inquit, Vulgata, male deinceps aliis neglecta, cum sit versionum una omnium praestantissima. Auditores facile recordabuntur, quantopere ego Vulgatae usum tum criticum tum exegeticum commendem, eiusque contemptum vituperem.» 19) Joannes Boysius denique, quem supra iam loquentem introduximus, in lib. l. versiones recentiores graviter vituperans multis Vulgatam laudibus extollit. Contra eos, qui in legenda sacra scriptura linguae latinae elegantiam magis admirari quam Dei verbum pio animo considerare cupientes edi-

---

18) Vot. pro pace eccles. p. 674.

19) Supplem. ad lex. hebr. P. III. pag. 992. et aliis locis.

tionem nostram contemnere non verebantur, ad locum apud Matth. XI, 5. bene monuit: «quod Vulgatae verbum (evangelizantur) repudiandum non videtur, quia et antiquum est, et graecis plane respondet, nec ita male latinum est, quin possit una cum multis aliis locutionibus, quas ecclesia sibi vindicat, locum suum tueri. Sic proximo versu» qui non fuerit scandalizatus, «me certe non offendit, quia libenter audio scripturam suo quidem modo, suoque veluti idiomate loquentem,» ubi S. Augustini verba respicit: «maluit pius interpres minus latine aliquid dicere, quam minus proprie.» [20]) Quibus plura invenies testimonia apud Brunatium [21])

Sed habemus et alia, quae Tridentinorum Patrum sapientiam in hoc decreto constituendo exhibitam ostendere possunt. Neminem fere fugit, et textum hebraicum et graecum tunc temporis Vulgata corruptiorem exstitisse, qui recentiori atque recentissimo tempore virorum doctissimorum diligentia atque cura aliqua ex parte restitutus sit. Quod etiam decreti nostri defensores semper merito vindicare studuerunt. Copiosissime vero de hac re Franziscus Titelmannus in collectionibus super epistolam ad Romanos et in Apologia pro veteri interprete disseruisse videtur. Quem Melchior Canus, Bellarminus, Richardus Simon aliique secuti sunt. Exempla proferre placet. In evangelio S. Matthaei VI. 13. post verba: «ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ

---

20) Apud Rich. Sim. hist. crit. des vers. du N. T.

21) Dissertatio de nomine, auctore, emendatoribus et authentia Vulgatae. Viennae 1827. pag. 34—44.

τοῦ πονηροῦ.» doxologia exstabat: «ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία κ. τ. λ.» quam interpres noster, meliorem textum secutus, haud reddidit. In epistola ad Romanos XII. 11. in textu graeco legebatur hodieque in nonnullis editionibus legitur: «τῷ καιρῷ δουλεύοντες;» Vulgata vero: «Domino servientes» reddidit, ex quo perspicuum est, interpretem lectione magis apta κυρίῳ δουλεύοντες usum esse. Plura apud Richardum Simonem monita exstant, ubi in variis recensendis translationibus Vulgatae praestantiam non solum prae his, sed etiam prae codicibus graecis laudandi saepe occurebat occasio. Neque omittendum putaverim, linguae graecae et praecipue hebraicae peritiam tunc non ita pervulgatam, ne dicam praeparatam fuisse, ut multum utilitatis Patres exspectare potuissent, si aut novam, iuxta textum originalem, interpretationem conficiendam aut, prout quibusdam placebat, [22]) codicem hebraicum et graecum restituendum curassent. Quam ob rem Pallavicinius monuit: «quis est in praesentia, qui sibi arroget et exquisitiorem illarum litterarum intelligentiam et acrius iudicium et emendatiores codices iis, quae S. Hieronymus obtinebat, qui, si non auctor, certe restitutor fuit nostrae Vulgatae.» [23])

Quae omnia cum perspexeris, persuasum tibi habeas necesse est, positis rerum conditionibus a Tridentinis Patribus nihil melius statui potuisse, quam ut Vulgatam usui publico ea mente praescriberent, quam historia adiuvante explicavimus,

22) Pallav. VI. c. 15. n. 2.
23) Pallav. VI. c. 17. n. 3.

praesertim cum simul constitutum sit, ut posthac quam emendatissime imprimeretur; quod vero, ut vidimus, aequo tardius factum est. [24]) Per longam seculorum seriem ea ab ecclesia probata et doctissimorum tunc temporis virorum iudicio ex omnibus latinis interpretationibus optima habita est, qua melior tunc vix expectari potuit. Posterius quidem Pallavicinius ipse ad Concilium excusandum necessarium esse putat; «vel ipsa (Vulgata) omnium interpretationum, inquit, optima est, vel imprudenter egit ecclesia in rei tanti ponderis electione: quod affirmare impium esset.» [25]) Ita vero Patres, ineffrenata libidine sacras scripturas Minerva invita interpretandi coërcita, incommoda illa, quae brevi tempore post Protestantes ceperunt, ab ecclesia Catholica optime propulsarunt. Tanta fuit interpretum audacia, tantaque inde religionis perversio, ut Lutherus, Beza aliique viri cordati eam vehementer deplorarent. Cf. §. 7.

Duas vero potissimum res lector attentus haud praetermiserit, quarum prior est, Concilii Patres de usu sacrae scripturae publico tantummodo in rebus ad religionem spectantibus egisse, non autem de lectione privata, quam quis pro ea qua gaudet linguae hebraicae aut graecae intelligentia, insti-

---

24) Etenim disputationibus de Vulgata finitis sex viri ex communi assensu delecti sunt, qui emendationi sedulo incumberent, ut ante exitum Concilii in lucem prodire posset, reservata interim facultate augendi numerum correctorum, si quis ex iis, qui venturi essent, ad eam provinciam capiendam idoneum se praestiterit. Cf. Sarp. c. 53.

25) Pallav. VI. c. 17. n. 9.

tuit. Posterior autem, decretum nostrum ex argumento, quo utitur, minime ad dogma pertinere, nec posse, sed tunc temporis rerum conditionibus solis serviisse. Quo fit, ut idem in disciplinas, quae tunc observandae erant, rite referamus, quod etiam peritissimi quique semper fecerunt. [26]) Nullusne ergo hodie Vulgatae debetur respectus? Eo nihil esset atrocius et insolentius! Ut taceam, translationem nostram pro antiquitate, qua gaudet, et emolumento, quod in explicanda sacra scriptura interpreti praebet, magno semper futuram honore, id solum admonuerim, Vulgatam cum augusto ecclesiae Catholicae cultu intime cohaerere. Quamdiu vero is valebit, maximae esset petulantiae, novam usui ecclesiastico intrudere versionem. [27]) Protestantium exemplo videamus, quantum habeat auctoritatis, quantum ponderis et momenti lectio ecclesiastica cuiusvis versionis consuetudine firmata. Aliae exstant versiones ad textum originalem Lutherana fidiores et ad sensum magis perspicuae; restat

26) Cf. Jahresschrift für Theologie und Kirchenrecht. 1s Heft. Seite 1—31. Ulm 1806.

27) Non minus recte quam praeclare de hac re iudicavit Moses Mendelsohnius in praefatione ad Psalmorum translationem; ait vero: „Jch bin so wenig in Neuerung verliebt gewesen, dafs ich mich sogar, was die Sprache betrifft, genauer an Dr. Luther gehalten, als an spätere Uebersetzer — ich habe selbst die hebräischen Redensarten nicht gescheut, die er einmal in die Sprache aufgenommen; ob sie gleich kein ächtes Deutsch sein mögen. Da sie der Gebrauch nun einmal der Sprache gleichsam einverleibt, und der Andacht geweiht hat; so verliert der Uebersetzer viel, der sie durchaus vermeiden will.“

Lutheri translatio in ecclesia, et ad interpretationem doctam magnopere commendatur. Audiamus ex Protestantium interpretibus, qui hodie florent, ex meo quidem iudicio principem, Luckium: «was die Uebersetzung betrifft, inquit in commentario ad S. Joannem, so bleibe ich meinem hermeneutischen Grundsatze getreu, nach welchem jede deutsche Uebersetzung der biblischen Schriften, auch zum Behuf einer gelehrten Auslegung, soll sie einen wahrhaft kirchlichen Charakter haben, auf dem Grunde der Lutherischen gemacht sein muſs. Je mehr ich auch hinsichtlich der Auslegung an mich selbst die strenge Forderung des kirchlichen Interesses gemacht habe, desto weniger kann ich die Uebersetzung von der Pflicht des kirchlichen Charakters entbinden.» 28)

Quod cum Vulgatae nostrae vindicavero, neminem arbitror fore, qui iniustum hoc esse putet.

§. 10.

Quid iam dicam de contumeliis, quibus adversarii Concilium ob hoc decretum tunc temporis onerare ausi sunt, atque hodie idem impugnare non desistunt? Quarum duas tantummodo accuratius examinandas putavi; prior eo spectat, Concilium Vulgatam immerito authenticam declarasse, cum satis notum exploratumque sit, multis eam adhuc scatere mendis. Sed respondeo: ex iis, quae de authentiae verbo disputavimus, et quae Patres in decreto constituendo spectarunt, satis apparet, nec necessarium esse nec a Concilio probatum, Vul-

28) Tom. I. pag. 238. et 39. editio prior.

gatam, ut authentiae nomine digna habeatur, omnibus carere vitiis. Id solum statutum est, editioni nostrae non inesse errores ad fidem moresque pertinentes, quod negare quis audeat? Praeter multos alios Grotium quoque adversarium haberet (vid. p. 19.). In aliis autem rebus Concilium Vulgatae hanc praerogativam non tribuit, neque emendatores posteriores vindicarunt, sed ingenue confessi sunt, multa, quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta esse. Cf. §. 4 et 5.

Alterum vero, quod Concilio adversarii exprobrare solent, in eo consistit, ut contendant, Vulgata textui originali praeposita, prohibitos esse interpretes, quominus ad illum recurrant. « Auf dem tridentinischen Concil, inquit Tzschirnerus, wurde die alte lateinische Bibelübersetzung, die man Vulgata zu nennen pflegt, für authentisch erklärt d. h. dafs sie als ausgegangen und angenommen von der unfehlbaren Kirche, Basis aller Schrifterklärung sei und die Schrift nicht nach dem Grundtexte, sondern der Grundtext nach der Uebersetzung ausgelegt werden dürfe und müsse.» 29) Sane mirum mihi esse videtur, quomodo fieri potuerit, ut Concilii verba, licet tam clara tamque perspicua, perverterentur. Tanta est malitia, ut ipsi adversarii, qui veritati magis indulgent, eam castigare coacti sint. «Iniusta est «ait Doederleinius» criminatio nonnullorum, qui pontificiam ecclesiam versionem latinam textui hebraeo vel graeco aequiparare nedum praeferre, tra-

29) Cf. Vorlesungen über die christliche Glaubenslehre. Seite 59. seq. Leipzig 1829.

diderunt.» 30) Concilii Patres enim in eo tantum versabantur, ut latinarum interpretationum abusum coërcerent; quam quidem ad rem satis fore putabant, si unam ex illis latinis translationibus, quae tunc circumferebantur et propter graeci et hebraici sermonis inscitiam apud plurimos in usu erant, legitimam declararent, et quidem eam, quae praestantissima semper habita est. At neque graecarum versionum nec textus originalis mentionem faciunt; ex quo perspicuum est, Vulgatam cum archetypo nec comparatam nec ei antepositam esse. Idem etiam Concilio finito multi, qui Synodo interfuere, palam testati sunt, quos enumerare non est necessarium. 31) Haec potius Pallavicinii verba laudare placet: «Num forte inficiamur, in editione Vulgata multa esse ambigua, obscura multa, quibus lux affundatur a bibliis primorum idiomatum? Nonne illorum ope catholici interpretes passim utuntur? Non id etiam proxime post Concilii decretum egerunt, quin et adhuc perdurante Concilio? quod palam facit, id non opponi sententiae Patrum Tridentinorum.» 32) Si quis vero, rationibus tam evidentibus allatis, Concilii decretum porro pervertere audebit, nihil optatius obtingere possit, quam ut Cardinalis a sancta Cruce arcessitus eum melius doceat, quod et in Conc. Trid. sessione IV. finita factum est. «Cardinalis sanctae Crucis, Sarpius narrat, finita congregatione iis, qui Vulgatae editioni refragrabantur, in unum convocatis, significa-

30) Institutiones theol. chr. pars I. pag. 61.

31) Pallav. VI. c. 17. n. 10.

32) Id. VI. c. 17. n. 6.

vit, nullam ipsis esse querimonias iactandi causam, cum libertas relicta esset tum editionis illius emendandae, tum ad textum originalem recurrendi; neque aliud vetitum, quam errores fidei ei tribuere, quorum nomine plane foret reiicienda.» 33)

CAPUT II.

NON LICET SACRAM SCRIPTURAM EXPLICARE CONTRA FIDEM ECCLESIAE, CUIUS EST DE INTERPRETATIONE SACRAE SCRIPTURAE IUDICARE.

§. 11.

Deinceps, ut erat propositum, de reliquis decreti nostri partibus disputandum est, ubi in summas de sacrae scripturae interpretatione dissensiones Catholicos inter et Protestantes incidimus, quarum origo posita est in Concilii Tridentini verbis his:

«Ad coërcenda petulantia ingenia decernit (Syn.), ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum interpretari audeat.»

33) Cf. c. 55.

Quae cum bene perpenderis, duas potissimum percipies res gravissimas, ab explicatione aliorum librorum usitata longe alienas, quas praeterire interpreti catholico non licet. Sed neque priorem, sacram scripturam ita explicari oportere, ut cuiusvis loci sensus ab ecclesiae fide nullo modo discrepet, neque posteriorem, ad ecclesiae auctoritatem pertinere, in rebus fidei et morum de vero sensu iudicare, Protestantes concedunt, utrumque s. scripturae bene libereque perscrutandae quasi contrarium repudiantes. Nullum nimirum aliud quam hoc interpretandi principium statuunt: «Scriptura scripturae interpres, aut scriptura suiipsius infallibilis est interpres.» Disserturo mihi iam de hoc argumento decreti verba antea accuratius ponderare placet.

Primum quidem eorum opinio plane reiicienda est, qui haec verba ita intelligi volunt, ut interpreti necessitatem imponant, locos ab ecclesia in dogmate aliquo constituendo allatos, eodem sensu interpretandi; quod infra occasione data, cum theologis ecclesiae Catholicae plurimi factis, falsum esse demonstrabimus. Multo potius hic statuendus est sensus: interpres sacram scripturam non ita explicare audebit, ut dogma aliquod subvertatur vel in periculum adducatur. Ut exemplo utar, interpres ex loco apud Joannem XIV. 28. recte iudicabit, hic esse de Christo sermonem, quasi merus fuerit homo; sed tantum abest, ut contra ecclesiae fidem et alios sacrae scripturae locos Christi divinitatem neget, ut rationes proferat, e quibus de semetipso Christus ita locutus sit. Prolixius de hoc argumento S. Augustinus disputat. «Haeretica, inquit, distinctio ««in principio erat Verbum, et Verbum erat

apud Deum, et Deus erat,»» ut alius sensus sit: Verbum hoc erat in principio apud Deum), non vult Verbum «Deum» confiteri. Sed hoc regula fidei (ecclesiae fide) refellendum est, qua nobis de Trinitatis aequalitate praescribitur, ut dicamus: hoc erat in principio apud Deum.» 1) Res enim ita se habet, Patribus Tridentinis et omnibus Christianis ab ecclesiae initio usque ad Concilium illud persuasio inerat, doctrinam ecclesiae catholicae non in scriptura, ut unica solaque basi, inniti nec ex ea petitam esse, sed potius ante ipsam scripturam exstitisse eandemque in ecclesia depositam in eaque semper repertam fuisse et etiam nunc reperiri. Neque aliter docere ecclesiam, aliter scripturam putabant. Id semper creditum est, et ex eo optime perspici potest, quod ecclesia haereticis, 2) scripturam mutilantibus, ut ea suis ipsorum

1) De doctrina christiana l. III. c. 2. ed. Bened. tom III. pag. 34. seq.

2) Cf. Tert. de praescr. haer: „Etenim quid contrarium nobis in nostris (scripturis)? quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei, quod esset in scripturis deprehensum, detractione vel adiectione vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt scripturae ab initio: ex illis sumus, antequam aliter fuit; antequam a nobis interpolarentur.“ c. 38. p. 216. „Ista haeresis non recipit quasdam scripturas; et si quasdam recipit, adiectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit. Et si recipit, non recipit integras. Et si aliquas integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit.“ c. 17. p. 208. Comp. Iren. adv. h. IV. c. 33. p. 272. ed. Ben.

Euseb. sacras quidem scripturas audacter adulteraverunt (haeretici): „primitivae autem fidei regulam reiece-

opinionibus praeconceptis magis faveret, fortiter restitit atque, ut integra servaretur, curam adhibuit maximam.

Atque eam ob causam mirum esse non potest, quomodo Concilium interpretem obstringere potuerit, ne scripturam ita explicaret, ac si fidei catholicae contraria contineret. Quod si ecclesia minus impetrasset atque semper retinendum curaret, nonne erroris accusari oporteret? Sed ne ad ecclesiae infallibilitatem confugere videar, vel id contendere audeo, Protestantium ecclesiam pro iis, quibus nititur principiis, idem sibi vindicare oportere, ne ad nihilum recidat. Nam si quaedam symbola aut confessiones, quales sunt Augustana eiusdemque Apologia, formula concordiae, confessio Gallicana, suam ipsius doctrinam continentia agnoscit, sacram vero scripturam tanquam fontem declarat, ex qua istae doctrinae haustae sint, necessario provideat oportet, si non ab ecclesiae positivae, ut ita dicam, auctoritate desistere velit, ne quid, quod symbolis adversatur, tanquam sacrae scripturae consentaneum suo in gremio doceatur. Ne opineris velim, tertium cogitari posse, nimirum ecclesiam parum respicere, utrum suae ipsius doctrinae consentaneum aliquis doceat an contrarium; quo nihil est ecclesiae nomine indignius! Quapropter non minus vere quam accommodate a Moehlero dictum est:

---

runt; — subtili impiorum hominum versutia simplicissimam divinarum scripturarum adulterant fidem, remotissimos esse a fide, quid attinet dicere? Hinc est, quod divinis scripturis audacter manus intulerunt, eas a se emendatas esse dicentes." h. e. V. 28. p. 378. ed. Zim.

«Wenn eine Kirche, die aus einem Vereine von vielen Individuen besteht, einem jeden Anhänger, als solchem, gestattete, nach Gutbefinden einen Glaubenssatz anzunehmen oder zu verwerfen, so enthielte sie in sich einen Widerspruch, und wäre das für die entgegengesetztesten Ansichten indifferente, glaubensleere Unding, das man unsertwegen mit den schönsten Prädikaten beehren darf, aber nur nicht Kirche nennen soll.» 3) Quod etiam ab eo, qui inter theologos ecclesiae Protestantium facile princeps existimatur, verbis probatur gravissimis: «Aus Fürsorge, inquit, für die Bewahrung der reinen Lehre, die ja der Stolz der neuen Kirche war, und ihre Trennung von der römischen rechtfertigen mufste, zugleich in der Absicht, sich von denen, die theils auf gefährliche, theils auf irrige Abwege gerathen zu sein schienen, aufs bestimmteste zu scheiden, fing man früh an, die ursprünglich der katholischen Parthei entgegengesetzten Bekenntnifsschriften, namentlich die augsburgische Confession und deren Apologie, auch im Gegensatze gegen die Anabaptisten und sonstige anders Denkende zur Grundlage unserer kirchlichen Verbindung zu erheben. Es entstanden symbolische Bücher als positive Erklärung über das, was man als christliche Wahrheit betrachtete; aber nicht blos aus äufseren Verhältnissen und aus dem Geiste der Zeit mufs man dieses ableiten; es folgte aus der Natur einer sich bildenden Kirchengemeinschaft. Diese existirt erst dann, wenn eine anerkannte Basis dersel-

---

3) Symbolik. 1ste Aufl. S. 287.

ben **vorhanden ist.** Ohne die Bekenntnifsschriften, die diese Basis bilden, wäre es bei einem allgemeinen verworrenen Gegenstreben gegen den Pabst geblieben, eine lutherische Kirche wäre nicht entstanden. **Auch darf man sich's nicht leid sein lassen um die scheinbare Hemmung** des freien Strebens nach Wahrheit, die dadurch herbeigeführt worden. Sie ist in der That nur scheinbar. Freiheit ist nicht Unbestimmtheit; sonst wäre auch der sittliche Mensch nicht frei.» 4) Quid multa? de apertis loquor. Nam ab origine Reformationis usque ad Semlerum omnes fere Protestantes uno ore consentiebant, interpretem ecclesiae fide teneri opportere; quam ob causam Buddeus fidei contraria docentes ab ecclesia relegare suadet. «Si qui autem, inquit, praefracte et pertinaciter Symbolis se opponunt — illis nulla fit iniuria, si non amplius pro ecclesiae nostrae membris habeantur.» 5) Idem eodem libro p. 1354. professorum Universitatis litterarum Ienensis primam de s. scriptura explicanda regulam refert his verbis: «Singuli bene perspiciant, ut expositio omnium locorum cum analogia fidei et confessionibus ecclesiae nostrae conveniant.»

§. 12.

Quod modo leviter attigimus, multo accuratius ex pugna de libris symbolicis, postea excitata, perspici potest. Lectu dignissimi de hac re com-

---

4) Twesten in libro, qui inscriptus est: Vorlesungen über die Dogmatik etc. S. 177.

5) Isagoge hist. theol. p. 471.

mendandi sunt libri, quos nunc laudabimus: «Sind die symbolischen Bücher ein Joch für die freie evangelische Kirche? gegen den Oberconsistorialrath Büsching, untersucht von Wettengel 1790,» qui liber in fronte habet Christi verba apud Matth. XI, 29. 30.: ἄρατε τὸν ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς etc.»; quemadmodum et ille: «Prüfung der Untersuchung des Herrn Büsching: ««wann und durch wen der freien evangelischen Kirche die symbolischen Bücher zuerst aufgelegt worden. Berlin 1789»» von Löber.» Cuius libri finem recitare non alienum a re esse putavi, ut, quod auctor sibi proposuerit, melius perspectum habeas: «Die Symbole unserer Kirche dienen zur Lehreinigkeit und Ruhe in ihren Gottesverehrungen und dem andringenden Vernünfteln in der Religion, dem Naturalismus und dem Fanatismus zu steuern, — sie sind kein lästiges Joch, sondern leiten vielmehr richtig bei immer mehrerem Aufschlufs in den Heilswahrheiten und sichern die Gewissensfreiheit aller Glieder der Kirche auf eine ausnehmende Weise.» Quorum librorum auctores studium et operam et consilium adhibent, ut libris symbolicis auctoritatem, ad ecclesiae unitatem servandam, vindicent, quod vero iis haud contigit. Studium enim a Semlero potissimum excitatum, 6) s. scripturam ex ecclesiae visceribus evellendi, non valuerunt exstinguere. Neque difficile est intellectu, quibus ex causis eorum conatus haud meliori successu gavisi sint. Nam Protestantium ecclesiae

6) In libro praecipue, cui titulus: Vorbereitung zur theolog. Hermeneutik. 1760—69. 4 Bde.

fides (analogia fidei) non tali fundata est basi, quali opus est, ut auctoritatem habeat indubitatam, qua ecclesia catholica utitur, atque norma cuiusvis doctrinae certa adhiberi queat. 7) Est enim nihil aliud, nisi doctrinae christianae summa, ex s. scriptura desumta, quatenus eam Reformatoribus, pro ea qua usi sunt scientia atque regulis hermeneuticis adhibitis, constituere placuit.

Summum vero Semleri meritum praedicatur, quod s. scripturam ab interpretatione dogmatica liberatam eadem ratione, qua Graecos et Romanos auctores interpretari solemus, explicandi viam monstraverit, maximisque eum ob id cumularunt laudibus permulti scientiarum studiosi, quorum unum nominare satis sit, nomine Kleinium, dignitate doctorem: «O denken Sie zurück, inquit, an die schöne Zeit, wo ein Ernesti die kirchliche Exegese stürzte, und die h. Schrift nach den Grundsätzen der klassischen Interpretationsweise erklärte, wo ein Semler die Kritik des N. T. aufstellte u. s. w.» 8) Qua via aperta s. scripturae inspiratio, quam Reformatores studio defenderant quo fieri potest maximo 9), ad nihilum recidit, ad libros

7) Bene de hac re monuit Bellarminus l. III. c. 9. p. 152. „Iudex (scripturae) debet habere auctoritatem coactivam, alioqui nihil prodesset eius iudicium: et privati homines nullam habent talem auctoritatem."

8) Vertraute Briefe über Christenthum und Protestantismus.

9) Cf. Augusti's Lehrbuch der christlichen Dogmengeschichte §. 170. p. 191. 3te Ausg.: „Den Protestanten, von welchen die h. Schrift zur alleinigen Richterinn in Glaubenssachen, die Vernunft zur alleinigen Auslegerinn der h. Schrift erhoben

symbolicos quis respexit? Quid mirum, cum in libris classicis, qui dicuntur, explicandis nec de inspiratione nec de libris symbolicis unquam fuerit sermo? Liberi in libera ecclesia, quod Patres rite fecerunt, tanquam Filiis sibi licitum putabant, iuxta Tertulliani principium: «idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare.» 10) Itaque s. scripturam, ex qua libros symbolicos haustos esse iudicabant, denuo perscrutabantur, quo factum est, ut suo quisque arbitrio ac viribus, quibus utebatur, symbolorum doctrinam in ea aut reperiret, aut longe diversam in ea cognosceret. Multi igitur librorum symbolicorum auctoribus diffidere incipiebant, etiamsi id non tam aperte dicerent, quam a Büschingio factum esse lib. l. legimus, ubi p. 54 haec exstant verba: «Es habe auch nicht an evangelischen Theologen und Predigern gefehlt, die sich geweigert hätten, ihren forschenden Geist durch die formula concordiae einschränken zu lassen. Die Urheber derselben hätten die List gebraucht, und den ersten Grundsatz der evangelisch-lutherischen Kirche, dafs die

ward, mufste am meisten daran liegen zu den alten strengen Inspirationsbegriffen wieder zurückzukehren, und sie schärfer zu bestimmen." Et §. 72: „Die Fortschritte der höhern Kritik und Exegese leiteten zuletzt viele Theologen dahin, dafs sie die Inspiration bei unsern h. Büchern, als etwas Unterscheidendes gänzlich ableugneten, wobei sie jedoch inconsequent und ungerecht gegen die exegetische Begründung des alten Begriffes wurden."

10) De praescript. haer. c. 42. p. 218.

prophetischen und apostolischen Schriften des A. und N. T. die einzige Regel und Richtschnur sei, nach welcher zugleich alle Lehren und Lehrer gerichtet werden sollten, an die Spitze ihrer Formel gesetzet; es wäre aber blos zum Scheine geschehen; dadurch hätten sie bei unvorsichtigen und leichtgläubigen Lesern ein ihrer Formel günstiges Urtheil erwecken wollen.» Atque simili fere ratione Anglicanae religionis consortes Academici Cantuarienses solenni contestatione litis de XXXIX. articulis suae religionis publice fatebantur, a maioribus, qui hoc symbolum edidere, non bene fuisse scripturam intellectam. 11)

Sed ne rationibus idoneis carentes novae exegesis defensores ita agere viderentur, non omittebant afferre, quae hanc liberam interpretationem valde probabilem redderent. Quum enim interpres in explicanda s. scriptura ad ecclesiae fidem respiceret, dicebant, facile fieri posse, ut doctrina praeconcepta ductus prohiberetur, quominus de s. scripturam integre iudicaret; quam ob rem magis idoneum esse, interpretem nulla fidei ratione habita ad s. scripturam accedere, ut in Platonis aut Aristotelis libris explicandis fieri solet. Quod vero ad meliorem librorum classicorum, ut dicimus, intelligentiam aliquid conferre putabant, id etiam sacrae scripturae interpretationi expedire concedebant. Itaque sacrum codicem iuxta summam doctrinae, ex claris ac apertis auctorum locis deductam, unde loca obscuriora lucem capiunt, explicandum esse

11) Novel. literat. Ratisbon. 1772. mense April. in supplem. cap.. IV.

putabant, ut Platonis scripta ex eiusdem systemate optime intelligi possunt. Sed ne s. scripturae auctores scriptoribus classicis eo praestarent, quod unam eandemque doctrinam omnes auctores consentientes praedicarunt, nonnulli exstiterunt, qui inter doctrinam Joanneam, Paulinam et Petrinam accurate distinguerent, quia Platonis et Xenophontis doctrina, licet uterque Socrate praeceptore usus sit, valde discreparet. Discrimine vero, quale Dei verbum inter et hominum argumenta constat (1 Cor. c. II.), non perspecto, doctrinam divinam in rationalem tantum scientiam contorserunt, quam excolere nostrae potissimum aetati contigerit! Itaque sáeculo praeterito, quemadmodum huius initio, longe plurimi Protestantium theologi aeque ac laici, licet christianae doctrinae studio ac laboribus facile omnium principes censendi, omni fere fide carebant, «ecclesiam non habebant, sine matre, sine sede, orbi fide, vagabantur,» [12]) quo nihil ad salutem multorum turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere potuit. Sed non defuerunt, qui tantam perversitatem omnino dolentes animo fideli ac sincero pristinam fidem redeuntem exspectarent! Rediit; et nunc demum longe plurimos Protestantium theologorum animos tenet. — Quis est enim, cui magna in ecclesia Protest. studiorum permutatio, recentissimo tempore facta, ignota esse possit? Optimi quique, rationalismo, quem dicunt, contemto, fidei orthodoxae, qualis a Reformatoribus formulis designata est, adhaerent. Quo facto Protestantes multo propius ad Catholicos accessisse, sanus quis dubitet?

---

12) Tertul. praesc. haer. cap. 42. pag. 218.

At dixerit fortasse quispiam, nonne Reformationis tempore utrique eodem erant statu? Minime vero; multa ex eo tempore accuratius disputata sunt; historia quoque magis exculta graves exstinxit criminationes; sacrorum librorum textus recentiori tempore magis emendatus hominum perfidorum arbitrio minus favet; quod vero rei caput est, viri docti in controversiis dirimendis et ad liquidum perducendis non tanta utuntur acerbitate, animorum et linguarum aestu et procacitate, quanta in scriptionibus, Reformationis tempore in lucem editis, lectorem valde offendit, et quae auctorem saepe prohibuit, quominus se ubicunque constantem et intrepidum veritatis assertorem facto comprobaret. Quae omnia eo mihi consilio praedicenda fuerunt, ut perspiceremus, ad quosnam tristes abusus Protestantium sic' dicta principia s. scripturam interpretandi duxerint; historiamque cum perlustraveris, apud omnes fere haereticos, ecclesiae catholicae fide et auctoritate relicta, idem evenisse invenies. '

§. 13.

Discrimine, quale inter principia ecclesiae catholicae et Protestantium sacram scripturam explicandi exstat, cognito (§. 11.), non est dubitandum, quin omnis controversia eo spectet, utrum sacra scriptura per se sola subsistat, ut Protestantes volunt, an cum aliis doctrinis coniuncta totum efficiat, quod Catholici defendunt. Id vero ex novi testamenti scriptorum indole tantummodo diiudicari potest, quam itaque exploraturi sumus.

Sacram scripturam cum obiter tantum legerimus, facile persuasos nobis habebimus, eam ab

auctoribus non eo consilio compositam esse, ut per eam tota doctrina christiana literis adumbraretur. Ex multis enim partibus constat, quarum singulae singula, nonnullaeque idem fere pertractant; neque difficile est intellectu, omnes, lectoribus doctrinae christianae iam peritis scriptos esse, qui pluribus non egebant. Apostoli enim, cum quodam loco evangelium praedicassent, christianos doctrina coelesti imbutos relinquebant, ut et alibi religionem christianam nuntiarent. Discedentibus vero Apostolis interdum placuit, nonnulla ex iis, quae sermonibus docuerunt, literis tradere. Qua quidem ratione Evangelium S. Matthaei, Eusebio auctore, ortum est. «Matthaeus, inquit, cum Hebraeis primum fidem praedicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod praesentiae suae adhuc superesse videbatur, scripto illis, quos relinquebat, supplevit.» 13) Deinde id quoque accidit, ut homines relicti doctrinam aliquam ab Apostolis traditam male intellectam perverterent, sive ab hominibus, religioni christianae inimicis, excitati repudiarent, vel vitam agerent, quae homines christianos parum deceret. Quae cum ita essent, Apostoli absentes non haesitabant, homines coelesti doctrina imbutos literis ad eos datis iterum docere, a pestiferis haereticorum doctrinis eos abstrahere, animoque paterno ad mores, quibus Christiani ornati esse debent, adhortari. Quae sane erant causae, unde plurima novi testamenti scripta composita sint; quo iam patet, Apostolos in scriptis

13) Histor. eccl. l. III. cap. 24. pag. 179. ed. Zim.

nostris componendis non hac mente fuisse, ut totam doctrinam literis mandarent; id solum agebant, ut nonnulla ex iis, quae sermone tradita erant, denuo explicata, contra inimicorum insidias confirmarent, atque homines doctrina christiana eruditos Christo fideles servarent.

§. 14.

Iam vero haec res non aliis caret argumentis, quae scriptorum ipsissima verba praebent, totam plenamque doctrinam non his, sed praedicatione viva voce contineri. Quae quidem adferre placet. In epistola ad Thessalonicenses posteriori huiuscemodi verba exstant: «State et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram. II. 14.» Apostolus hoc loco verbis dilucidis declarat, doctrinam praedicatam nec hac posteriori nec priori epistola sola deprehendi, sed potissimum sermone Thessaloniae habito. Ad quem locum S. Chrysostomus haec monuit: «hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt Apostoli per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: et ea quoque sunt fide digna. Quam ob rem ecclesiae traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio; nihil quaeras amplius.» 14) Similia colligi possunt ex locis sequentibus 1. Cor. XI, 2.: «laudo vos fratres, inquit Apostolus, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.» Quem locum respiciens Epiphanius Haer. 61. haec annotavit: «sed et traditione quoque opus est, neque enim ex scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctis-

14) Hom. IV. in ep. ad Thess. post. tom. XI. ed. Ben. p. 532.

simi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat: «quemadmodum vobis tradidi.» Item alio loco: «ita doceo, et ita tradidi in ecclesiis.» [15]) Tertio loco haec Apostoli verba scribenda putavimus: «formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu; bonum depositum custodi.» II. Tim. I. 13. 14. Et II. 2. «quae audivisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.» Quaenam sunt praecepta, quid est depositum; quidnam Timotheus per multos testes audiverat? In epistolis non exstant, sed sermone praedicata sunt, Apostolus cum praesens evangelium nuntiaret; unde vero illa cognoscere et possis et debeas, infra videbimus. Res ita fere se habet: Si quis epistolam legerit, quae aut sermonem quendam habitum aut ore aut scriptis expressum respexerit, nonne lectori multa erunt ignota, alia obscura? quae ut bene perspiciat, omnia ad hanc rem pertinentia colligere studeat necesse est. Quod vel adversarii sibi in usum convertendum putaverunt apud Irenaeum, [16]) licet ratione perversa: «non potest, dicebant, veritas ex scripturis inveniri ab his, qui nesciant traditionem.»

Quod vero in S. Pauli epistolis legimus, aliis aliorum novi testamenti scriptorum locis confirmatur. In evangelio S. Joannis XX. 30. legitur: «Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in hoc libro.» At forsitan quispiam dixe-

---

15) Tom I. p. 511. ed. Col. 1632.
16) Advers. haer. III. cap. 2. pag. 144.

rit: hoc loco non esse sermonem de Christi doctrina, sed de factis, quae ad hanc rem parum attineant. Cui vero ita respondere posse putaverim, in evangeliis nostris factorum narrationem et doctrinae semper fere coniunctam exstare; qua ex causa recte colligere possumus, haec verba non minus ad doctrinam quam ad facta spectare; quod et ideo statuendum est, quia in tribus prioribus evangeliis multas legimus doctrinas, quae in nostro non reperiuntur. Joannes (XXI. 25.) tantum abest, ut totam doctrinam literis a se adumbratam putet, ut potius fieri hoc nequaquam posse confirmet: «sunt autem et alia, inquit, multa, quae fecit Jesus; quae si scribantur per singula, ne ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.» Huc pertinent et haec ex II. ep. 12: «Plura quidem habens scribere vobis, nolui per chartam et atramentum; spero enim me futurum apud vos et os ad os loqui.» Unde satis liquet, doctrinam s i n g u l i s novi t e s t a m e n t i l i b r i s plenam non contineri, quia Apostoli eam magis sermone, quam literis tradere solebant. Cum vero pro temporis opportunitate ad scribendum impellerentur, lectores, ut praedicationem viva voce factam in memoriam revocarent, plerumque admonebant; hinc et perspicuum est, nonnulla sacri codicis scripta tam exiguo uti argumento.

§. 15.

Quaeritur autem, num doctrina, ab Apostolis tradita, o m n i b u s n o v i t e s t a m e n t i l i b r i s forsan comprehendatur? Quum enim in singulis N. T. libris diversa contineantur argumenta, f i e r i fortasse potuisset, ut omnes simul sumpti totum doc-

trinae christianae corpus continerent. Sunt et fuerunt, qui hoc magna cum animi contentione defenderint, ex quo, traditionibus repudiatis, doctrina sic dicta sufficientiae, plenitudinis seu perfectionis finalis sacrae scripturae orta est. Cuius defensor gravissimus Reformationis tempore habitus est Chemnitzius, qui et hodie apud plurimos ecclesiae Protestantium theologos magna utitur auctoritate. Quos modo laudavimus locos, ut traditionis necessitatem probarent, longe aliter interpretari ausus est. 17) Ipsius verba audiamus: «Tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram, Apostolus dixit, quando libri novi testamenti primum coeperunt conscribi et nondum omnes erant editi; nam quae viva voce ab ipso didicerant, in unica illa epistola non omnia plene continebantur. Longe aliud vero est, de scriptura N. T. loqui, cum primum unica tantum epistola Pauli edita esset, ac postea cum tot libris et epistolis explicata est. Propterea Apostolus circa finem vitae suae (II. Tim. III.), cum iam conscripti et editi essent libri novi testamenti, ita de scriptura loquitur, quod

17) „Die katholische Kirche nimmt selbst Beweise für die Nothwendigkeit des Glaubens an ihre Tradition aus der h. Schrift her I Cor. XI. 2. II Thess. II. 14. III. 6. etc. Allein man sehe, mit *welchem kritischen Scharfsinne und mit welcher geistreichen Exegese* Chemnitz alles widerlegt hat, was dieses System zu Gunsten seiner Tradition aus diesem gezogen hat." Marheinecke: „über den wahren Sinn der Tradition im katholischen Lehrbegriffe und das rechte Verhältnifs zur katholischen Lehre." In tomo IV libri, cui titulus: „Studien von Daub und Kreuser."

duo aequipollentia constituit, traditionem et scripturam, ut qui habet unum, habeat et alterum: idque inde et ideo, quia idem scriptum est, quod traditum est.» 18) Πρῶτον Ψεῦδος est, quod Chemnitzius simulat, in epistola ad Tim. posteriori III. 14—17. aeque de vetere ac novo testamento esse sermonem. Apostoli verba sunt haec: «tu vero permane in iis, quae didicisti et credita tibi sunt, sciens a quo didiceris; v. 15: et quia ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Jesu. v. 16: omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia; v. 17: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.» Chemnitzius ipse concedit, Apostolum v. 15 de libris veteris testamenti solis loqui» illo enim tempore, scribit, quando Timotheus infans adhuc erat, nondum exstabant scripta N. T.; v. 16 vero, pergit, Apostolus aliam attexit sententiam. Hoc loco quaero, an illa sententia tantum de sola scriptura veteris testamenti intelligenda sit? Si quis enim contendere ausit, scripta novi testamenti, quae illo tempore iam exstabant, in illa Pauli sententia non comprehendi, sed excludenda esse: sequetur, ea non divinitus esse inspirata, nec utilia ad doctrinam, quod neminem puto dicturum!» Quae sane est interpretatio ingeniosa, quàm Marheineckius multis laudibus extollit. Equidem vero nescio, utrum interpretis imperitia an artis logicae ignorantia magis castiganda sit? Quis est

18) Examen Conc. Trid. ed. Francof. 1609. p. 27 et 36.

enim, cui conclusio: «libri novi testamenti illo loco non comprehenduntur, ergo non sunt divinitus inspirati nec utiles ad doctrinam» haud prorsus ridicula videatur? Quod autem locum ipsum attinet, versus 16. minime aliam sententiam adfert, ut Chemnitzius vult, sed explicationem versus 15 adhibet. Apostolus enim versu 14 Timotheum adhortatur, ut in iis permaneat, quae a semetipso didicerat; id vero, versu 15 pergit, potius poteris, cum veteris testamenti scripta noris, quae divinitus inspirata et propterea ad docendum, ad erudiendum etc. sunt utilia, eademque, fide instructus christiana, melius intelliges. Comparandus est locus II. Cor. III. 15. «usque in hodiernum diem, cum legitur Moises, velamen positum est super cor eorum; v. 16: cum autem conversus fuerit (sensus) ad Dominum, auferetur velamen.»

Quod autem deinde Chemnitzius — non Apostolus — confabulatur, omnibus novi testamenti libris compositis duo aequipollentia exstitisse, ut, quae Apostoli sermone praedicaverant, iam literis plene consignata legamus, apta caret ratione. 19) Quod ut fieri potuisset, necesse erat, ut Apostoli consilio capto ad scribendum adgressi essent, et alius aliam doctrinam literis tractandam sibi propo-

19) Tota Chemnitzii argumentatio ad nihilum prorsus recidit, quum consideraveris, Pauli temporibus omnes N. T. libros nec scriptos, nec in canonem, ut aiunt, redactos fuisse. Auctor noster ita temere agit, ut saeculum XVI. inter et I. nihil discriminis esse statuat. In mentem mihi venit, Chemnitzium, cum haec scriberet, finxisse, seculi I. Christianos Lutheri biblia optima forma in manibus habuisse.

suisset. Iam vero nemo nescit, causas doctrinae christianae scribendae longe alias fuisse, ut §. 13. vidimus. Quod adversariorum delirium Natalis Alexander, bene, ut mihi videtur, refutavit. 20) «Inane est, inquit, quod ad istum locum (II Thess. c. II.) respondent heterodoxi, Apostolum ea, quae sermone tradiderat, scriptis postea mandasse aliis in epistolis; ac proinde nihil esse sermone traditum, quod scriptum non exstet; quasi vero consulto egerint Apostoli, ut si quod s. s. dogmatum vel fidem vel mores spectantium una eorum epistola non haberet, id aliis insererent; aut quod unus eorum praetermisisset, suppleret alius, ne quid omnino non scriptum remaneret: quum sit evidens, eos non ex composito dogmata religionis christianae in scriptum redegisse, quibus nimirum praedicandi evangelii, non scribendi provincia a Christo demandata erat; sed pro natis occasionibus quaedam mandasse literis ad absentes datis, quae profecto scripturi non erant, si vel praesentes fuissent iis, ad quos scriberent, vel occasio, quae ipsos ad scribendum impulit, defuisset. Nisi enim Timotheus absens a Paulo fuisset, non haberemus huius ad illum duas epistolas, tam multiplici ac necessaria doctrina, quae alibi non legitur, refertas.» Hoc unum superest, ut opineris, doctrinam novi testamenti libris plenam fortuito esse mandatam. Quis est autem, qui in rebus gravissimis, ex iis, quae fortuito fieri potuissent, iudicare et decidere audeat?

---

20) Dissert. XVI. adv. Valent. Gnost. et Marcion. De traditionibus non scriptis. tom V. hist. eccles. pag. 426. ed. Bingae.

Ut nihil omittat, quod veritatis speciem prae se ferre videatur, Chemnitzius lib. laud. p. 25. et aliam ingressus est viam, ut scripturam traditioni aequivalentem demonstraret. Nicephoro auctore proponit: »epistolas Pauli scriptas esse, ut essent ὑπομνήματα, compendio complectentia, quae praesens oratione dilucide tradiderat illis.» Quam quidem ad rem Bellarminus, opinor, non male respondit: «Si Apostoli, inquit, doctrinam suam literis consignare ex professo voluissent, certe catechismum, aut similem librum confecissent. At ipsi vel historiam scripserunt, ut Evangelistae, vel epistolas ex occasione aliqua, ut Petrus, Paulus, Jacobus, Judas, Joannes, et in iis non nisi obiter disputationes de dogmatibus tractaverunt. Denique vel singuli Apostoli edidissent doctrinam evangelii, cum singuli haberent curam alicuius provinciae; vel certe omnes congregati simul, antequam discederent in suas provincias, communem aliquem librum edidissent, sicut constat, eos communiter symbolum fidei composuisse, quod tamen non scripserunt, sed viva voce tradiderunt etc.» [21])

Idem et Eusebius disertim testatur: [22]) «neque curae Apostolis erat, ait, libros scribere, quippe qui longe praestantiori ministerio et supra humanas vires posito fungerentur. Paulus certe, qui inter Apostolos et verborum apparatu et sententiarum pondere facile praestabat, praeter paucissimas epistolas nihil omnino scriptum reliquit. Sed et reliqui Servatoris nostri adiutores, duodecim Apostoli et

---

21) De verbo Dei non scripto l. IV. c. 4. p. 170.

22) H. e. III. c. 24. p. 178—79.

septuaginta discipuli, alii denique praeter eos innumerabiles, earundem rerum minime expertes fuerunt. Soli nihilominus ex cunctis Domini discipulis Matthaeus et Joannes scriptos nobis rerum commentarios reliquerunt. Quos quidem necessitate quadam ad scribendum impulsos fuisse perhibent.» Ex quo intelligi potest, Chemnitzium et hac via scripturam traditioni aequivalentem non demonstrasse. Res est enim tam vaga atque incerta, ut et adversarii eam refellere saepe cogantur. «Es ist ein falscher Anschlag, dicit vir acatholicus, wenn man jene Quellen (die h. Schrift) als vollkommene Lehrbücher der christlichen Religion ansehen will. Sie sind weiter nichts, als ehrwürdige und schätzbare Fragmente, die ein Beispiel sowohl der Lehrart damaliger Zeiten, als auch viele Artikel der Religion selbst an die Hand geben. Und jeder unbefangene Protestant mufs es gestehen, dafs die N. T. Schriften das Gepräge der Rhapsodie nur zu deutlich an sich tragen, als dafs sie als ein vollendetes, in sich selbst geschlossenes Ganzes betrachtet werden könnten.» 23)

Ad postremum argumentum iam transire placet, quo Chemnitzius et longe plurimi post eum usi sunt, ut scripturae sufficientiam et solum usum in rebus religionis confirmandis vindicarent. Sanctorum Patrum locos laudant, qui scripturae tantam tribuere videntur auctoritatem. Huc pertinet Athanasii dictum: «Ne igitur interroges, sed solum ex sacris literis condiscas; sufficiunt enim, quae in his

---

23) Cf. Tieftrunk in libro, qui inscriptus est: „Censur des christl. protestantischen Lehrbegriffs.“ 1r Theil.

reperias documenta» 24); Augustini verba: «in his, quae aperte in scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem moresque vivendi;» 25) — et aliorum Patrum. Quam viam ingressi maximum ceperunt detrimentum: Catholicis enim victoribus cedere coacti sunt, quod multi Protestantes aperte fateri non reluctati sunt. Quorum duos tantum laudare sufficiat. Priorem nomino venerabilem et doctum Augustium, posteriorem eruditissimum Münscherum: «Bei der Frage, inquit prior, ob die Religionsurkunden als die erste und einzige Erkenntnifsquelle und Richterinn in Glaubenssachen zu betrachten seien, wird der erste Punkt von den Katholiken zugestanden, aber gegen den zweiten die behauptete Ausschliefslichkeit der Bibel als Erkenntnifsprinzip excipirt, und dagegen die sogenannte dogmatische Tradition ihr an die Seite gesetzt. Die Protestanten konnten sich offenbar nicht gegen die Katholiken behaupten, wenn sie das hohe Ansehen und den allgemeinen Gebrauch der Tradition angriffen, da es unwidersprechlich ist, dafs ihr gleicher Rang mit den Religions-Urkunden angewiesen wurde.» 26)

Posterior iam ita loquitur: 27) «Dafs die Tradition oder der von den ersten Stiftern der Gemeinden mitgetheilte und durch die Sorgfalt der Lehrer bewahrte und fortgepflanzte Unterricht

24) In ep. ad Serap. p. 359. ed. Ben. tom. I.

25) De doct. christ. II. c. 9. ed. Ben. tom. III.

26) Lehrbuch der christlichen Dogmen-Geschichte p. 200.

27) Handbuch der christlichen Dogmen-Geschichte §. 68. p. 332. Tom. I.

über die Hauptstücke des christlichen Glaubens anfänglich die einzige Quelle für die Christen war, erhellet aus der damaligen Lage der Christen unwidersprechlich und bedarf keines Beweises. Dafs sie aber auch, nachdem die Schriften des N. T. in den Gemeinden Eingang und Ansehen gefunden hatten, neben diesen ferner als ein besonders für sich bestehendes Erkenntnifs- und Beweismittel der Christenlehre gebraucht wurde, beruht auf dem übereinstimmenden und unzweideutigen Zeugnisse der angesehensten Kirchenlehrer.» Et alio loco: 28) «Die Protestanten, wenn sie gegen den Gebrauch der Tradition kämpften, hatten die unbefangene Geschichte nicht auf ihrer Seite.»

Quum autem, ut ait Lactantius, 29) «satis firmum sit testimonium ad probandam veritatem, quód ab ipsis perhibetur inimicis» plura addere nolui. At, dixeris, res cum sit tam clara tamque perspicua, quibus ducti rationibus theologi ecclesiae Protestantium longe plurimi repugnaverunt? Haec potissimum causa mihi esse videtur, quod S. Patrum locos ex contextu torquentes alias argumentationes, quae in eorum operibus dispersim leguntur, prorsus neglexerunt; quam ob rem illi ipsorum opiniones praeconceptas, quibus ducti ad Patrum scripta accedebant, probare videbantur. Idem Bossuetus Rich. Simoni, celeberrimo illi critico, exprobravit. Verba ipsius haec sunt: «Si M. Simon avait lu ces livres, s'il les avait, pour ainsi parler, seulement ouverts, aurait-il dit, que S. Augustin ne

28) Idem lib. §. 73. p. 344.

29) De divin. inst. l. IV. c. 12. p. 440. ed. Walchii.

se sert de la tradition que quelque fois? mais il décide sans lire, et ne fait, que jetter les yeux sur quelques passages connus; c'en est assez pour conclure, que S. Augustin parle quelque fois de la tradition. Pour en dire davantage, il faudrait s'être attaché à tous ses ouvrages; mais il n'y regarde pas, ou il ne fait que passer les yeux légèrement par-dessus.» 30)

Qui vero s. Patrum loci opponi solent, a Natali Alexandro et magna cum diligentia collecti, et acute refutati sunt, dissertatione l. p. 458—478., a Bellarmino: de Verbo Dei non scripto c. 11. p. 196. seq. Maiorem vero multi fortasse percipient persuasionem ex iis, quae ad hanc veritatem confirmandam adversarius gravissimus, quem modo nominavimus, hisce de locis disseruit. In animadversione adiuncta ita loquitur: 31) «Die Protestanten, wenn sie das Ansehen der dogmatischen Tradition in dem christlichen Alterthume bestritten, beriefen sich dabei vorzüglich auf solche Aussprüche der Kirchenlehrer, worin die h. Schrift für zureichend zur Erkenntnifs der Glaubenslehren und Glaubens-Vorschriften erklärt wird. So heifst es z. B. bei Augustin: in iis quae aperte in scripturis etc. Es finden sich viele ähnliche Stellen. Allein aus den hier vorgetragenen Gedanken des Vincentius läfst sich erkennen, wie sie verstanden werden müssen. Man gab wohl zu, dafs die damals geltende Kirchenlehre von den Gläubigen in der Bibel gefunden wer-

30) In libro: „défense de la tradit. et des SS. Pères. Paris 1763. Tom. I. ch. 8. p. 98.

31) Münscher in lib. 1. tom. III. p. 143.

den könne; allein einen Zweifler oder Gegner glaubte man nicht aus der Bibel allein zur Ueberzeugung bringen zu können, sondern die Hülfe der Tradition zu bedürfen.»

§. 16.

Summa disputationis haec est: Ex indole sacrae scripturae et causis, ex quibus eiusdem libri orti sint, sufficienter apparet, eam per se solam non subsistere, sed ad sermonem ab Apostolis habitum respicere; quo fit, ut nonnulla, nisi illius sermonis argumentum antea cognoveris, ambigua exstent, vel certe non intelligantur. Neque singulis neque omnibus novi testamenti libris tota doctrina christiana continetur, quae ut integra constituatur, necesse est, et ea perscrutari, quae Apostoli viva voce praedicarunt. Id vero non solum ex natura, quam libri prae se ferunt, recte colligitur, sed etiam consuetudine et usu multorum seculorum probatur.

Duplicem iam perciperemus fructum, si Apostolorum praedicationem, viva voce cum Christianis communicatam, quae et traditio 32) appellatur,

---

32) Adnotandum putaverim, traditionis vocem diversis significationibus saepe usurpari. Ut auctores nominem, Chemnitzius in examine Conc. Trid. p. 69. octo traditionum genera enumerat, Marheineckius vero tria tantummodo distinguit, et alii aliter. Melius vero traditionem cum scriptoribus ecclesiasticis priorum seculorum longe plurimis ita definimus, ut omnem Apostolorum doctrinam ore propagatam complectatur. Quo sensu in disputatione nostra infra semper adhibebitur. Conf. historia eccles. Ruttenstockii tom. I. p. 322.

adhuc superstitem haberemus; quo fieret, ut et scripturam, quae ad eam saepe respicit, melius intelligeremus, et doctrinam christianam integram et completam constitueremus. Ad prius cum adhibetur traditio, nominatur declarativa, ad posterius vero, constitutiva. Pro ea autem, qua doctrina ch. apud nos gaudet dignitate atque auctoritate, eadem morali cogimur necessitate, traditionem perscrutandi, qua et Ignatium, Hegesippum, Papiam aliosque coactos esse, ab Eusebio memoriae proditum est.

§. 17.

Iam vero in eo sumus, ut inquiramus, utrum hanc traditionem sive Dei Verbum, ab Apostolis ante tot secula sermone praedicatum, oblivio non obruerit: sin minus, an integra ea servata adhuc superstes sit. Quae sane quaestiones magni momenti sunt, quarum et prior et posterior tam copiosum et multiplex praebet argumentum, ut in libris dogmaticis uberrime tractari soleant. Nostro autem consilio hoc sufficiat, gravissima tantum ac necessaria perstringere, quae ad doctrinam Catholicam confirmandam apta videntur. Sed antequam ad prius, quod modo dixi, accedam, paucis proponam, nullam fere traditionis doctrinam exstare, quae ad nostrum usque tempus non nisi ore ad os promulgata fuerit, sed quinque prioribus seculis omnes fere ore traditas doctrinas literis quoque mandatas fuisse. Provenere enim in ecclesia scriptorum magna ingenia, viri scientia atque doctrina praeclari, virtute praestantes et vitae sanctitate venerabiles, quos pio Patrum nomine appellamus. Neque his defuit scribendi occasio, immo vero necessitas saepe obvenit, doctrinam, solo sermone prius a se traditam, scripto

commendandi. 33) Quo factum est, ut, quaecunque nos docet ecclesia praedicando, homines literati et ex Patrum monumentis petere queant. De quorum auctoritate autem pro instituto nostro dissertum sumus capite tertio.

Nunc itaque, quid causae fuerit, cur Apostolorum traditio in oblivionem non abierit, exponam. Qua in re quod omnibus notum exploratumque est, primum admonere placet. Quantus Judaeorum stupor, quae Ethnicorum perturbatio, qui peccatoris dolor, quanta pii hominis laetitia, evangelium quum nuntiaretur! Matth. VII. 28. Luc. IV. 32. Act. II. 38. I. Cor. II. 4. 13. Pro ea enim animi laetitia, qua evangelica doctrina a credentibus accipiebatur, seque omnium animis sanctitate sua et puritate commendabat, atque ad aeternam salutem assequendam necessaria et praedicabatur et credebatur: alte in animos hominum descendit, profundasque ibi radices egit. 34) «Multae gentes barbarorum, Irenaeus narrat, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem

33) „E sacris literis, inquit Pallavicinius ad Apostolicas traditiones progressi sunt, ad ea videlicet monumenta ac mandata Christi Domini et Apostolorum, quae non quidem in libris Canonicis scripta continentur, sed ab illis voce communicata, suis alumnis in persuasione rituque communi fidelium perstitere, atque in Patrum voluminibus et ecclesiae historiis recensita comperiuntur.“ VI. c. 11. n. 8.

34) Act. IV. 12. „Et non est in alio aliquo (nisi in Christo) salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo hominibus datum, in quo oporteat nos salvos fieri.“

diligenter custodientes.» 35) Nec testimonia desunt, quae satis luculenter demonstrant, quanto studio, omnia Apostolorum verba cognoscendi, elaboratum sit; quanta cura, quae vigilantia adhibita sit, ut audita integra et imminuta animo retinerentur.

Eusebio quidem auctore 36) «Ignatius cum per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus civitatum, quas ingrederetur, ecclesias sermonibus et cohortationibus suis confirmans, monebat imprimis, ut sibi a pravis haereticorum opinionibus caverent, quae tunc primum in lucem emergere cum coepissent, copiosius pullulabant; hortatusque est, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit.» Etiamsi quidem multa priorum saeculorum scripta interierint, alia tamen posterioris aetatis superstitia sunt, quorum auctores ex illis tanquam fontibus hauserunt. De Hegesippo idem fere Eusebius memoriae prodidit: «hic in quinque Commentariorum libris, qui ad nos pervenerunt, luculentissima fidei suae testimonia nobis reliquit. Scribit enim, se, cum Romam proficisceretur, plurimos episcopos adiisse, et ab omnibus unam eandemque audivisse doctrinam.» 37) Illustrissimum autem testimonium apud eundem Eusebium eo loco exstat, ubi Papiae verbis utitur auctor huiusmodi: «nec pigebit ea, quae quondam a senioribus didici ac

35) Adv. haer. III. c. 4. p. 178.

36) H. e. III. c. 36. p. 202.

37) H. e. IV. c. 22. p. 271.

memoriae mandavi, cum interpretationibus nostris adscribere, ut veritas eorum nostra quoque assertione firmetur. Non enim, ut plerique solent, eos unquam sectatus sum, qui verbis affluerent, sed eos potius, qui verum docerent: nec eos, qui nova quaedam et inusitata praecepta, sed illos, qui Domini mandata in figuris tradita et ab ipsa veritate profecta memorabant. Quod si quis interdum mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar, quaenam essent seniorum dicta: Quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthaeus, quid ceteri Domini discipuli dicere soliti essent: quidnam Aristion et Joannes presbyter, discipuli Domini, praedicarent. Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce.» 38)

Quid dicam de praeceptoribus, qui Apostolis vita defunctis ubique terrarum, quae ab ipsis audiverant, praedicare, et summa cura et maxima sollicitudine eadem custodire iussi sunt, admonente Apostolo: «O Timothee! depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae.» I. Tim. VI. 20. «Ecclesiis praeesse debebant, ut iam a Deo adoptati non essent parvuli fluctuantes, et circumferrentur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris», (Eph. IV. 14.) «deinde, ut doctrina sancta sanctam in Christianis vitam excitaret. Utrumque vero eo maxime fieri solet, ut Christi

38) H. e. III. c. 39. p. 210.

mandata iterum iterumque fidelibus proponant, ita vero, ut licet vetera, nova salutentur ab auditoribus, (I. Joan. II. 7. 8.) eaque novum Salvatoris amorem excitent atque inflamment.» Praeclarum igitur Vincentii illud: «O sacerdos, o tractator, o doctor, si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritualis tabernaculi Beselecl; pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quae didicisti, doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.» 39) Praeter frequentem et quotidianum illius doctrinae usum id quoque in memoriam revocemus, multa celebrata esse Concilia, quibus praestantissimi ubique terrarum ecclesiarum magistri interesrant, ut doctrinam acceptam contra haereticos defenderent; multa symbola composita; multas quoque cum ecclesiis remotissimis ob hanc doctrinam communicatas esse literas; multis denique Apostolorum praedicationem ornatam esse commentariis amplissimis.

Et sane, ut doctissimi Lumperi 40) verba repraesentem, si traditiones humanae de nobilitate aut rebus gestis maiorum per plura saecula conservantur in familiis: quid mirum traditiones divinas

---

39) Commonitor. c. 22. sub fin. ed. Steph. Baluz. cum Salviani oper. Pedeponti 1742.

40) Historia theologico-critica de vita, scriptis et doctrina sanctorum Patrum, pars III. pag. 343.

conservatas per plura saecula in ecclesia fuisse? Quod enim praestant nobiles eorumque successores, ut conservent traditiones de familiarum suarum nobilitate, id multo diligentius multoque copiosius praestitere olim Apostoli et eorum successores, praestantque hodie, qui illorum locum tenent, episcopi.» Atque haec quidem hactenus.

§. 18.

Secundo loco indagari oportere diximus, an traditio Apostolica adhuc integra reperiri possit? quod quidem adversarii negant pertinaciter. Optime, opinor, de hac re disserturus ero, cum ante dixerim, quales traditiones ecclesia catholica Apostolicas agnoscendas ac retinendas semper iudicaverit. A primis enim temporibus ecclesia de hac re contra haereticos, qui etiam ad traditiones provocabant, accurate constituere coacta est. Historiam si consulueris, Irenaeum primum invenies, qui, quibus ecclesia hac in re usa sit argumentis, accuratius exposuit. Eadem fere argumenta Tertullianus, aetate paulo posterior, memoriae prodidit. Itaque bonum mihi videor consilium cepisse, utriusque testimonia ita coniungendi, ut unius et alterius verba simul perspicere queas. Saeculo vero V. a Vincentio Lirinensi ecclesiae hac in re principia tam evidenter et adposite explicata sunt, ut et sensu et verbis semper saeculis posterioribus tamquam firmissima regula adhibita sint. 41) Ad rem iam

41) Cf. Münscheri liber laud. tom. III. §. 37. „Vincentius, inquit, hat das, was die älteren Väter über die Tradition in zerstreuten Aeusserungen gesagt hatten, durch seinen

ipsam accedimus. — Quod episcopus Lugdunensis aeque ac presbyter Africanus de traditionibus Apostolicis statuendis disseruerunt, si in compendium redegeris, fere hoc est.

Irenaeus.

Haereticos provocamus ad eam traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesia custoditur. Adv. haer. III. c. 2. n. 2.

Habemus enim annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos. III. c. 3. n. 1.

Tertullianus.

Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. De praes. haeret. c. 20. — Si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum alios non esse recipiendos praedicatores, quam Christus instituit. c. 21. — Edant haereses origines ecclesiarum suarum: evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris — habuerit auctorem et antecessorem. Sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Joanne conlocatum refert; sicuti Romanorum, Clementem a Petro ordinatum itidem. c. 32.

Canon: quod ubique, quod semper etc. in eine zusammenhängende Theorie gebracht, bestimmtere Regeln für den Gebrauch derselben angegeben, nicht weniger diesen Gebrauch durch Beispiele erläutert."

Irenaeus.

«Si igitur de aliqua modica quaestione disceptatio est, oportet in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere, quod certum et reliquum est. In eas Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime contulerunt omnia, quae sint veritatis: uti omnis, quicunque velit, sumat ex iis potum vitae.

Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones; maximae et omnibus cognitae a gloriosis

Tertullianus.

Quid autem praedicaverunt Apostoli, non aliter probari debet, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea. Si haec ita sint, constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis Apostolicis matribus et originalibus fidei **conspiret**, veritate deputandam; sine dubio tenentem, quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam a mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et Apostolorum et Christi et Dei. c. 21.

Incredibile est, vel ignorasse Apostolos plenitudinem praedicationis, vel **non omnem ordinem regulae omnibus edidisse**. c. 27.

Age iam — percurre ecclesias Apostolicas, apud quas adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae li-

IRENAEUS.

duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia vel vanam gloriam vel per caecitatem et malam scientiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, h. e., eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio.» Successione autem episcoporum enumerata, pergit: annuntiat vero unum Deum omnipotentem, factorem coeli et terrae etc. III. c. 3. n. 2. 3.

Et Polycarpus non solum ab Apostolis edoctus, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea, quae est Smyrnis ecclesia, con-

TERTULLIANUS.

terae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscuiusque. Si Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur; ubi Paulus, Joannes exitu coronantur: — videamus, quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque ecclesiis contesserarit. Unum Deum novit, creatorem universitatis, et Christum Jesum ex Virgine Maria filium Dei creatoris. c. 36.

Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum; si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. cap. 36. Si quidem in ea regula incedimus, quam ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, necesse est, ut nobis veritas adiudicetur. c. 37. Communicamus

IRENAEUS.

stitutus episcopus — haec docuit semper quae ab Apostolis didicerat, quae et ecclesiae tradidit et sola sunt vera. Testimonium his perhibent quae sunt in Asia ecclesiae omnes, et qui usque adhuc successerunt Polycarpo. — Sed et quae est Ephesi ecclesia a Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos usque ad Traiani tempora, testis est verus Apostolorum traditionis. Ibid. n. 4.

TERTULLIANUS.

(quoque) cum ecclesiis Apostolicis, quo nulli doctrina diversa, hoc est testimonium veritatis. c. 21. sub fin. Confingant tale quid haeretici! — ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicuius auctoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita et Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis didicerunt, aliter praedicaverunt. Ad hanc igitur formam probabuntur ab illis ecclesiis, [42]) quae licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis, auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur: tamen in ea fide conspiran-

---

42) Cf. cap. 20. Ab ecclesiis Apostolicis traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant; ac per hoc et ipsae Apostolicae deputantur, ut soboles Apostolicarum ecclesiarum.

IRENAEUS.

Apostolorum vero traditio in toto mundo manifestata in omni ecclesia adest (una eademque) respicere omnibus, qui vera velint videre. III. c. 3. n. 1. — Ecclesia quidem in universum mundum disseminata eandem fidem custodit, quasi unam domum inhabitans; et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. I. c. 10. n. 2.

TERTULLIANUS.

tes, non minus Apostolicae deputantur, pro consanguinitate doctrinae. c. 32. — Itaque tot ac tantae ecclesiae, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima et Apostolicae, dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis; quae iura non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti (eiusdem symboli, seu regulae, eiusdem fidei) una traditio. c. 20. sub. fin.

§. 19.

Haec fere sunt, quae utriusque libris diligenter perlectis argumentationem de traditione optime explanare mihi videntur. Ad quaestionem nostram quod attinet, quomodo nempe Apostolorum integrae traditiones a falsis dignosci queant, exinde sequuntur haec: Apostolica traditio ea potissimum iudicanda, quae in ecclesiis, ab ipsis Apostolis fundatis, per legitimam Apostolorum successionem una ac consentiens conservata ad nos pervenit. In illis enim Apostoli omnia, quae sunt veritatis, plenissime deposuerunt. Neque minus illa Apostolica

est existimanda traditio, quae in ecclesiis, Apostolorum aevo praeterito constitutis, retinetur, si, cum Apostolica comparata una ac eadem inventa fuerit, (pro consanguinitate doctrinae, ut ait Tertullianus). Quod vero ut probetur, necesse est ad ecclesias Apostolicas recurrere. Quarum omnes autem consulere, quum longum est; satis esse putabatur, unam ex illis adire, eamque, quae proxime sita erat. Ita quidem singulae ecclesiae suam ipsius doctrinam contra haereticos, nova ac falsa docentes, vindicare debebant, ut perspicuum esset, ecclesiam, licet ubicunque terrarum dissipatam, unam eandemque sine diversitate doctrinam concionari; quod scilicet Christus hominum saluti tanquam necessarium revelavit et Apostoli ecclesiis suis tradiderunt.

Pro instituto, quod sequimur, necesse est, ut iam ad Vincentium Lirinensem transeamus, qui, ut Münscherus (p.58.) professus est, haud nova de Apostolica traditione cognoscenda argumenta attulit, sed a Veteribus de hac re disputata in concinnam regulam redegit.

§. 20.

In commonitorio illo, quod nemo nescit, vera traditio ita definitur: «quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.» Hoc est enim, Vincentius pergit, vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universalitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universalitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia. Antiquitatem vero ita,

si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos Sanctos maiores ac Patres celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.» 43)

Neminem arbitror fore, qui, hoc bene perspecto, summam non invenerit similitudinem hunc Canonem inter et illa, quae apud Irenaeum atque Tertullianum passim monita legimus. Quid est enim aliud Irenaei illud «ecclesia in universum mundum disseminata eandem fidem custodit etc.» nisi quod voce «ubique» significat Vincentius? Quum autem Irenaeus Apostolicam traditionem ita suadet probandam, ut demonstretur, illam ab Apostolis praedicatam per legitimam successionem usque ad ipsius aetatem pervenisse, non secus est, ac si Vincentius ad doctrinae veritatem cognoscendam ostendi oportere dicit, «semper» illam doctrinam Apostolorum viguisse. Iam vero ab hoc loco alienum non esse videtur, Canonem nostrum accuratius interpretari. Verba «ubique et ab omnibus» aut, ut dici solet, ecclesia universalis, non ita intelligenda sunt, ut omnes consuli oporteret ecclesias, quae toto orbe terrarum dispersae tunc florebant, sed celeberrimas tantummodo ab Apostolis aut eorum successoribus fundatas, quales erant Hierosolymitana, Ephesina, Antiochena, Romana, Alexandrina, Constantinopolitana. Quod apud Irenaeum et Tertullianum quoque ita fere expositum legimus.

---

43) Commonitor. cap. 2.

Particula « semper » etiam non ita urgenda est, ut necessitatem indicet, traditionem veram quasi per totam episcoporum successionem retro usque ad Apostolos investigandi; ita potius sapientissimi quique eam interpretati sunt, ut nullum post Apostolorum tempora designari possit initium. 44) Contrarium quidem recentiori tempore permulti ecclesiae Protestantium theologi in historiis dogmatum conscribendis probare conati sunt. Quam parum vero hoc doctrinae Christianae conveniat, Hermesius magno ut solebat ingenii acumine exposuit in posthuma commentatione lectu dignissima. 45)

Iis vero, quae de principiis traditionem Apostolicam integram retinendi adhibitis narravimus, plane est consentaneum, uno tenore hoc in ecclesia auditum esse dictum: «Nihil novandum esse, nisi quod traditum.» «Quod invenerunt Patres in ecclesia, retinuerunt; quod didicerunt, docuerunt, quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.» Haec fere sunt, quae de ratione, Apostolicas traditiones et retinendi et ab haereticorum novationibus tuendi, quinque prioribus saeculis in ecclesia usitata, narrare putaverim.

§. 21.

Restat, ut regulas, e quibus traditiones Apostolicae iudicabantur, accuratius ponderemus, idque videamus, an satis certae sint. Ad Vincentium solum respicere liceat, cuius Canonem de tradi-

---

44) Cf. Natal. Alex. dissert. laud. pag. 437.

45) Vide Bonner Zeitschrift, 1s Heft. S. 99—126.

tione, ut supra iam monuimus, longe plurimi semper fere protulerunt, atque proferunt, cum de traditione agitur. Qui Canon, explicatione modo data, hoc sibi vult, eas potissimum iudicandas esse traditiones Apostolicas, quae in quam plurimis ecclesiis ab Apostolis aut eorundem successoribus fundatis tales semper uno consensu habitae sint. Iam vero non difficile est intellectu, eas, tantis veritatis indiciis utentes omni omnino falsitatis specie carere. Nam quomodo, quaeso, fieri potuerat, ut in multis quam remotissimis ecclesiis una voce doctrinae quaedam, ut ab Apostolis acceptae, praedicarentur, nisi hac vere uterentur origine; sin minus, aut omnes semper erraverint aut omnes fideles deceperint necesse est. Utrumque autem fieri non potuit. Neque enim error nec fraus inter tot et loco et tempore diversos unquam consensum efficit, quod historia docet et communis vita declarat. Quod quidem argumentum iam Tertullianus tanquam indubitatum adfert: «Age nunc, inquit, omnes (ecclesiae) erraverint; deceptus sit et Apostolus de testimonio reddendo; nullam respexerit spiritus sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius, sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos praedicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? nullus inter multos eventus unus est. Exitus variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum.» 46)

---

46) De praescript. haeret. c. 28. Eandem argumentat. apud Vinc. Lir. inveneris c. 24.

Hinc patet, adversarios nescire, quid sibi velint, cum doctrinam de millenario in terris Christi regno traditionis certitudini opponunt. Nemo quidem negabit, perantiquam esse hanc doctrinam; cuius et auctores et defensores quis nescit? Antiquitas vero sola ab erroribus non avertit, ut ait Natal. Alexander, 47) sed universitas quoque et consensus requiruntur. Illud solum vere ab Apostolis traditum censeri debet, quod omnes pariter ecclesiae magistri et Patres uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuerunt et docuerunt. Quum itaque doctrina modo nominata, quam Papias, Justinus, Irenaeus, Tertullianus, Lactantius, asseruerunt, a caeteris Patribus fuerit illis ipsis temporibus impugnata, et deinde ab omnibus constantissime improbata; certum est, illam sententiam e traditionis Apostolicae fontibus haustam non esse, licet eiusdem nomine vendita sit.

Neque minus argumentatio nostra, quae ex antiquitate, universalitate et consensione desumta est, iis quoque traditionibus Apostolicis auctoritatem tribuit, quae, quamvis in orbe terrarum ubicunque consentienter creditae, Christi aut Apostolorum auctoritatem non prae se ferunt. Quod etiam S. Augustinus iam contra Donatistas recte protulit argumentum. Verba illius sunt: «quod universa tenet ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.» 48) Etenim

47) L. l. pag. 479.

48) Cont. Donat. IV. cap. 24. Tom. IX. pag. 140. edit. Ben.

teste historia praeter Christum et Apostolos a nullo alio nisi a Patribus in generali Concilio legitime congregatis omnes ecclesiae consentientes doctrinas ad fidem moresve pertinentes acceperunt. 49) Quum autem, S. Augustino docente, Concilii decretum excludatur, nulla alia, nisi origo Apostolica cogitari potest. Noli credere, eas aut errore acceptas aut fallacia esse intrusas. Ex Tertulliani enim argumento laudato plane irritam refelli oportere hanc opinionem, pronum est ad fidem.

Firmior autem fuerit persuasio de traditione Apostolica in ecclesia integre custodita, cum oratio nostra ad illud redierit, quod §. praecedente perquam breviter perstrinximus. Christianos diximus persuasum sibi habuisse: «ecclesiae fidem unam omnino esse, solam immobilem et irreformabilem.» 50) Praeclarum illud Apostoli: «depositum

49) Huic rei aptum esse videtur, alium S. Augustini adferre locum in epistola 54. ad Jannarium data: „illa autem, inquit, quae non scripta sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis vel plenariis Conciliis, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicut quod Domini passio et resurrectio, et ascensio in coelum et adventus de coelo Spiritus sancti anniversaria solemnitate celebrantur, et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, ecclesia. Alia vero, quae per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii quotidie communicant corpori et sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt, — alii — alii etc., totum hoc genus rerum liberas habet observationes.“ n. 1. et 2. tom. II. p. 124. ed. Ben.

50) Tertul. de Virginibus velandis. c. 1. p. 173.

custodi,» (quae est exclamatio et praescientiae pariter et caritatis, ut ait Vincentius) ita obtinuerunt Christiani, ut nec carceres, nec rotae, non gladii, non persecutiones quaecunque optimos quosque movere possent, ut doctrinam ab Apostolis acceptam desererent. Fortiter restiterunt haereticis, qui nova ac diversa docere conabantur. Ita in ecclesia Alexandrina ob doctrinam Arii, in Constantinopolitana propter figmenta Nestorii et Eutychis plebs vehementer commota ad seditionem concitata fuit. Et haeretici, licet vehementer ad iracundiam excitati, quod haereticae doctrinae auctoris nomine nuncuparentur: tamen a se contumeliosum hoc nomen non valuerunt avertere. 51)

A re non alienum erit ex praestantissimo Lumperi opere verba adscribere haec: «Transmissio universalis factorum naturalium est remedium certum de existentia et veritate eorumdem iudicandi. Sic credimus exstitisse Neronem, Carolum M., ut

51) Cf. Bossuet discours sur l'histoire universelle chap. 26. sub fin.: „Pour les hérésies, inqnit, quoiqu'elles fissent, ne ponvaient se défaire dn nom de lenrs auteurs. Les Sabelliens, les Paulinistes, les Ariens, les Pélagiens et les autres s'offensaient en vain du titre de parti, qu'on leur donnait. Le monde, malgré qu'ils en eussent, voulait parler naturellement, et désignait chaque secte par celui, dont elle tirait la naissance. Pour ce qui est de la grande Eglise, de l'Eglise Catholique et Apostolique il n'a jamais été possible de lui nommer un auteur que Jesus Christ même, ni de lui marquer les premiers de ses Pasteurs sans remonter jusqu'aux Apôtres, ni de lui donner un antre nom, que celui, qu'elle prenait." pag. 247. ed. en 4. Paris 1747.

nequidem inquiramus sensum omnium saeculorum; sufficit nobis universalis huius rei persuasio. Populus sine omni momento scripto credit, et a nemine levitatis accusatur. Cur ergo, ubi de traditionibus divinis agitur, transmissionis earundem certitudinem negare volunt Protestantes? praesertim quum traditio ecclesiae tales numerat praerogativas, quibus quaecunque humana traditio omnino destituta est.» 52) cf. §. 17.

Recte itaque, ut opinor, concludimus, traditiones secundum regulas probatas Apostolicas esse habendas.

Nec desunt adversariorum testimonia, quae id ita affirmant, ut res diutius in dubitationem vocari nequeat. «Periculosum est, inquit Lutherus, et horrendum, quidquam audire vel credere, quod adversatur unanimi traditioni, testimonio fidei et doctrinae sanctae et catholicae ecclesiae, quam illa inde ab initio per annos mille quingentos servavit.» 53) Alioque loco: «Wenn es ein neuer Artikel (die Gegenwart Christi im Altarssacramente) und nicht vom Anfang der heiligen christlichen Kirchen, oder wäre nicht bei allen Kirchen noch bei der ganzen Christenheit in aller Welt so einträglich gehalten, wäre es nicht so gefährlich und schrecklich daran zu zweifeln oder zu disputiren, obs recht sei etc. 54) Acerrimus vero ecclesiae catholicae adversarius Iurieu de hac argumentatione

52) Tom. III. pag. 347.

53) Epist. ad Marchion. Brandenb.

54) In epist. quadam ad Albrechtium Borussicum.

ita disseruit: «Quand le consentiment de l'église universelle est général dans tous les siècles aussi bien, que dans toutes les Communions, alors je soutiens, que ce consentiment unanime fait une démonstration.» 55)

Quae cum ita sint, non possumus non reiicere sententiam, in quam plurimis Protestantium libris dogmaticis obviam, scilicet hanc: «Das Wort Gottes ist nirgend anders als in der Schrift rein und unverfälscht anzutreffen;» 56) quemadmodum et istam, quae haud minus frequenter apud Protestantes invenitur: «Es gibt nichts so Willkührliches in einem dogmatischen Lehrbegriffe, als die Quelle der Tradition; sie bringt die Geschichte um allen Kredit.» 57) Immo vero contendere ausim, traditionem, quae regulis laudatis in ecclesiis tanquam accommodata fuerit, sacrae scripturae plane consentaneam fore. Nec aliter, quam Irenaeus apud Eusebium de Polycarpo, in ecclesia ad populum disserente, testatur: cuius doctrinam affirmat in omnibus cum scriptura sacra consentientem fuisse.» 58) Quam inter scripturam et ecclesiae concionis consensionem S. Augustinus quoque his praetendit

55) Apud Bossuetum in libro: histoire des variations etc. liv. XV. c. 88. p. 666. ed. en 4. Paris 1743.

56) Vide Nitsch, Sendschreiben an Delbrück pag. 61. et 62. Lücke ibid. p. 198. Schleiermacher, der christliche Glaube. 2r Thl. p. 412. Reutling. Ausgabe.

57) Marheinecke in libro: „Studien von Daub und Kreuzer Band IV. Allgemeine Darmstädtische Kirchenzeitung n. 70. 1833.

58) H. e. V. c. 20. p. 361.

verbis: «Non autem asserit (sacra scriptura) nisi catholicam fidem.» 59) — Traditionem itaque sacrae scripturae contrariam, quaecunque fuerit, prorsus reiiciendam esse statuimus.

Quaestio iam a nobis §. 17. proposita ex utraque parte, ut nobis videtur, affirmari debet. Restat in ecclesia praedicatio Apostolica, eaque integra. Duplex igitur exstat ratio, plures fidei christianae doctrinas cognoscendi, aut per sacram scripturam aut per praedicationem in ecclesia continuatam. Atque Deo gratias agamus, qui singulari sapientia doctrinam Christianam custodiendam curavit. Nam ex iis, quae nunc prolaturi sumus, satis perspicuum erit, quantopere tali opus fuerit praesidio, ne doctrina vera a petulantibus haereticis perverteretur, nec fidei unitas dirimeretur, quae ut semper inviolata servaretur, Christus et Apostoli gravissimis admonitionibus inculcarunt. 60)

Animadversio. At, quispiam dixerit, nos hanc viam non ingredimur, ut traditionem Apostolorum perscrutemur. Res sane ita se habet. Non percurrimus omnes ecclesias Apostolicas, quod quidem hodie nec fieri potest, neque id Irenaei seu Tertulliani argumentatio requirit atque desiderat. Longe plurimae enim ecclesiae cum Romana antiquissima communicant unam fidem, unam doctrinam, quasi uno ore ac iisdem labiis praedicantes. Neque vero diffitendum est, posse evenire, ut utile sit putandum, vel illas antiquas ecclesias, adhuc

---

59) De doctrina christ. III. cap. 15. pag. 38. tom. III ed. Ben.

60) Joan. X. 30. XVII. 11. 1. Cor. I. 10. seq. Eph. IV. 13.

superstites, consulere, quae a communione ecclesiae Romanae discesserunt, quarum est ecclesia Constantinopolitana, quam, historia teste, Protestantium Theologi saeculo XVI. adierunt, ut cognoscerent, quot sacramenta ipsa profiteretur. Responsum tulerunt: septem, eaque, quae ecclesia catholica semper tenuit atque tenet. Proximam potius et quasi compendiariam ingredimur viam, quam S. Augustinus 61) iam indigitat, ut traditionem apostolicam exploremus. Consulimus nempe priorum quinque potissimum saeculorum S. Patres, de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente et Occidente congregatos non in locum, quo navigare debeant homines, sed in librum, qui navigare possit ad homines. De hac re vero ex proposito nostro sermo erit capite tertio. Nihil itaque hic subiungendum putavi nisi illud, de S. Patrum scriptis, ut genuini traditionis testes haberentur, eadem in ecclesia valuisse requisita, quae fida rerum memoria de sermonibus narravimus, quibus Christiani erudiebantur.

§. 22.

Qualis vero s. scripturam inter et traditionem nexus intercedat, §. 16. ex s. Codicis natura atque indole demonstravimus. Multa quidem in s. scriptura breviter monita reperiuntur, quae Apostolorum sermone clarius atque copiosius exposita erant, ne dicam, alia in ea prorsus omissa; quo fit, ut multa, nisi Apostolorum concio accesserit, aut valde

61) Lib. II. cont. Jul. Pelag. n. 37. pag. 551. tom. X. ed. Ben.

obscura aut incerta lectori videantur. Qua quidem ex obscuritate omnes fere haeretici magnum pro re sua commodum perceperunt, quod in s. Patrum scriptis saepe castigatur. Ut exemplis utamur, S. Irenaeus dicit: «Parabolis Dominicis vel dictionibus Propheticis aut Apostolorum sermonibus nituntur, ut figmentum illorum non sine teste esse videatur; ordinem quidem et textum scripturarum supergredientes, et, quantum in ipsis est, solventes membra veritatis. Transferunt autem et transfingunt, et alterum ex altero facientes, seducunt multos, ex iis, quae aptant ex Dominicis eloquiis male composito phantasmati. Quomodo si quis Regis imaginem bonam, fabricatam diligenter ex gemmis pretiosis a sapiente artifice, solvens subiacentem hominis figuram, transferat gemmas illas et reformans faciat ex illis formam canis vel vulpeculae, et hanc male dispositam; dehinc confirmet et dicat, hanc esse Regis illam imaginem bonam etc.» 62) Nec aliter Tertullianus «quid promovebis, inquit, exercitatissime scripturarum? Cum si quid defenderis, negetur ex diverso; si quid negaveris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione.» 63) Nec in his (scripturis) constituendum est certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est aut par incertae. 64) Quibus Vincentii testimonium adiungere velimus: «Sacram scripturam alius aliter interpretatur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter

62) Adv. haer. I. c. 8. p. 36. cf. II. c. 10. p. 126.

63) De praes. haeret. c. 17.

64) C. 19. ejusd. lib.

Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius — aliter postremo Nestorius.» 65) S. Hieronymus vero in epistola ad Paulinum data, ita refert: «Quidquid dixerint, hoc legem Dei putant. Nec scire dignantur, quid Prophetae, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit et non vitiosissimum docendi genus depravare sententias, et ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem.» ep. 103. cap. 6. Recentiori vero tempore illud Werenfelsii dictum:

„Hic liber est in quo quaerit sua dogmata quisque.
Invenit et pariter dogmata quisque sua."

satis luculenter docet, istum s. scripturae abusum haud omnino esse sublatum.

Neque interpretationis principia ita munita fuerunt nec sunt, ut tali arbitrio prospere opponi potuissent. Cum iam utrique et Catholici et haeretici, pro sua quisque sententia e sacra scriptura disputarent, ex sacris literis ipsis cognosci non potuit, utri veritas sit adiudicanda. Quam ob rem ad traditionem confugere solebant, quae magis, quam scriptura, perspicue et prolixe et distincte fidei dogmata subministrat. Hinc patet, ut Melchioris Cani verbis utar 66), causa gravissima, cur traditiones Apostolicae fuerint necessariae. Eamque ob causam Moehlero libenter adstipulor, qui vel hoc contendere ausus est: «Durch die katholische Kirche und

65) Common. c. 2.

66) Loci theol. lib. III. c. 3. p. 99. ed. Col. 1674.

ihre Eigenthümlichkeit (das kirchliche, von der Schrift unabhängige Bewufstsein) wurde die historisch-grammatische Interpretation erst auf die Bibel angewendet und ausser ihr kommt man immer auf die allegorisch-mystische Interpretation nothwendig zurück. Der Grund liegt darin, die Hermeneutik ist eine umgekehrte Logik.» 67) Gnóstici enim cum expositione utentes allegorica plures esse Deos ex sacra scriptura demonstrarent, Arius vero nonnullis N. T. locis perperam intellectis commotus, Christi divinitatem infitiaretur, Sabellius scriptura nixus doctrinam s. Trinitatis perverteret, aliique Christi verba in coena sacra adhibita sensu translato interpretari auderent: traditionis auxilio respondebatur, quaenam Apostoli de his doctrinis sermone praedicaverint et ecclesia universalis posthac semper sensu unanimi docuerit. Testis est Münscherus, qui lib. laud. de hac re ita disseruit. «Man sah die Tradition für brauchbar und nöthig an, um die richtige Erklärung der h. Schrift aufzufinden, und um sich vor den verkehrten Auslegungen, welche die Ketzer sich erlaubten, zu hüten.» 68) Quo nec melius nec aliud auxilium accommodatius adhiberi potuit, s. scripturae naturam cum in memoriam revocaveris; et magnus sane s. codicis abusus ita praecavebatur, nec difficile est intellectu, quam male doctrinae verae patrocinio provisum fuerit, si ea in sacra scriptura sola unicaque basi niteretur. Ego quidem concedo, recentissimo tempore regulas hermeneuticas multo firmiores redditas esse,

67) Cf. Einheit in der Kirche. p. 90.

68) Tom. I. §. 73.

scientiamque s. codicis idiomatum ita excultam, ut, si iis prudenter utimur, priorum haereticorum argumentationes nonnullas refutare possimus; at pertinaciter nego, sacram scripturam his adminiculis ab omni abusu satis tutam esse. Testis est historia N. T. interpretationis recentiori tempore, quae in rebus vel gravissimis, ut exemplis utar, de Christi divinitate, de sancta Trinitate, quemadmodum de Coena sacra multa narrat dissidia. Quam ob causam haud ita pridem vir satis eruditus, Arendtius, theologiae doctor, ab Ecclesia Protestantium ad Catholicam se convertit. In libello, quo rationes, quibus commotus a Protestantium ecclesia ad Catholicam decesserit, exponit, praeter alia, quae minus huc pertinent, haec professus est: «Dem subjektiven Denken ist Thür und Thor geöffnet. Der Inhalt ist nur in so fern wahr, als er dem Subjekte so erscheint. Das an sich eine Dogma wird nicht blos individuell aufgefafst, sondern seine Wahrheit wird von dem Fürwahrhalten des Subjektes abhängig gemacht; es kann nicht etwa seiner Form, sondern auch seinem wesentlichen Inhalte nach verworfen werden, sobald die Exegese des Einzelnen dasselbe in den Stellen der h. Schriften, d i e e s b e g r ü n d e n s o l l e n, eben nicht findet, vielleicht durch eine sehr gelehrte, von allerhand kritischen und philosophischen Kunststücken unterstützte Auslegung grade das Gegentheil davon herausbringt. Und so ist es dann dahin gekommen, dafs in dieser Theologie der Eine, 69) die Lehre von der Trinität anerkennt und festhält, ja sie an die Spitze des

69) Marheinecke's Dogmatik.

ganzen Lehrbegriffes stellt; während der Andere 70) sie durchaus läugnet und aus seiner Dogmatik streicht; ein Dritter 71) sie für antiquirt erklärt oder für aus Accommodation entstanden; ein Vierter 72) gar Nichts von ihr wissen will; aber weil sie ein gutes praktisches Moment habe, sie dennoch beizubehalten meint; ein Fünfter 73) sie am Ende einer christlichen Dogmatik ganz nebenbei auch noch erwähnt, und auf einigen Blättern abmacht; ein Sechster aber behauptet, und auf historischem Wege gelehrt nachweiset, fünfzehn Jahrhunderte hätten durchaus geirrt; was bisher Orthodoxie gewesen, seie eigentlich Heterodoxie — die Lehre von dem dreieinigen Gotte aber sei erst von der sich bildenden Hierarchie, ihrem Interesse gemäſs intrudirt!!!» Quo iure itaque plurimi Protestantium theologi sententiam, quam nunc prolaturi sumus, consentienter fere defendere ausint, sane non video. Est vero haec:

> «Die protestantische Kirche gibt die Schrift nicht der Willkühr preis, 74) sondern hat zur Verhütung derselben Mittel und Regeln festgesetzt. Die Differenz (in der prote-

---

70) Wegscheider Insitit. doc. Christ.

71) Bretschneider's Dogmatik.

72) Schleiermacher's christl. Glaube. 2r Theil.

73) Lange's Beiträge zur älteren Kirchengeschichte. Abtheilung 2.

74) Nitsch's Sendschreiben an Delbrück. p. 72. Twesten lib. l. p. 457. Lücke's Sendschreiben an Delbrück. p. 207. Schleiermacher, der christliche Glaube. Tom. I. p. 124. ed. Reutl.

stantischen Kirche) berührt keine solche Punkte, durch die eine Grundlehre wesentlich verletzt wird.»

Tales vero ac tantas dogmatum diversitates, quae a doctrina Christiana prorsus alienae sunt, ecclesia catholica, ut modo diximus, eo potissimum a se avertit, quod et traditione gaudebat, sine qua sacra scriptura recte intelligi nequit; quod vero ad singulas eiusdem tantummodo partes, licet gravissimas, referri oportere dixerim. Sed ne traditioni iusto maiorem videar tribuere auctoritatem, quo quidem opprobrio a Reformationis tempore usque ad hunc diem Catholicos onerarunt Protestantes, haud omittendum putavi nonnulla addere, quae s. scripturae praestantiam prae traditione oculis subiicere bene valeant. Nemo enim inter Catholicos vir doctus nunc facile reperitur, qui sacrae scripturae praestantiam ac praerogativas haud agnoverit, etiamsi traditioni multas alias concedat virtutes. Tres ex multis laudare sufficiat, ne meam ipsius sententiam omnino sine teste proferre videar. Primo quidem a Möhlero eleganter dictum est: «Es ist gewifs ein grofser Mangel des Ruhmes vor Gott, wenn man behaupten will, die Schrift sei zufällig, weil sie aus rein zufälligen Veranlassungen gefertigt worden zu sein scheint. — Ohne Schrift wäre uns die eigenthümliche Form der Reden Jesu vorenthalten: wir wüfsten nicht, wie der Gottmensch sprach; und ich meine, leben möchte ich nicht mehr, wenn ich ihn nicht mehr reden hörte. Allein ohne Tradition wüfsten wir nicht, was er verkündete, und die Freude an dem, wie er sprach, wäre auch dahin. Kurz, Alles gehört zusammen, und

mit göttlicher Weisheit und Gnade wurde es auch unzertrennlich gegeben.» 75) Praeclarum vero et aptissimum, illud: «Dafs ein Theil der Ueberlieferung von den unmittelbaren Zeugen und Aposteln Christi schriftlich gefafst worden, ist ein für den Fortbestand der Kirche von Bedeutsamkeit und Wirksamkeit bleibendes Werk des der Kirche vorstehenden h. Geistes. Die Schrift dient *wie das Gebein dem lebendigen Organismus* zur Festigung, so als Anhaltungspunkt, Erinnerungs- Orientirungs- Ausweisungsmittel der Ueberlieferung und Kirche, wie hinwiederum die Ueberlieferung und Kirche zur Schirmung und Belebung etc. 76) Tertius denique Stolbergius de re nostra his utitur verbis: «Wir werden die Erbarmungen Gottes nie genug preisen können für die Bücher der göttlichen Offenbarung; aber dennoch würde uns ihre Erhaltung nicht vor Spaltungen und Irrthümern sichern, wenn der Sohn Gottes seiner Kirche nur die Aufbewahrung, nicht auch die Ueberlieferung der apostolischen Deutung derselben vertraut, und sie dadurch zum Grundpfeiler der Wahrheit gemacht hätte.» 77) Utraque enim modo excellit prae altera modo deficit, ideoque altera alterius auxilio gaudet. 78)

Ex quo intelligi debet, Catholicorum theologos recentioris temporis sacrae scripturae haud minorem vindicare dignitatem, quam Patres primorum

---

75) Einheit der Kirche. p. 60.

76) Klee's System der kath. Dogmatik. p. 110.

77) Geschichte der Religion Jesu. tom. VII. p. 370.

78) Cf. Bossuet défense de la tradition et des Pères. liv. II. chap. 6.

saeculorum. Irenaeus, ut exemplum proferam, sacram scripturam fundamentum et columnam fidei nostrae futurum nuncupat. 79) Athanasius vero ait: hi, (libri canonici) sunt fidei nostrae certae anchorae et sustentacula, utpote ab ipsis Apostolis Christi, qui et cum illo conversati, ab eo instructi sunt, conscripti et expositi.» 80) Qui S. Patres, etsi tanti faciant scripturam, tantum absunt, ut traditionem parvi faciant, ut in rebus gravissimis vel saepius ea utantur, tanquam maior ei probandi vis insit. Ita etiam hodie fit apud Catholicos. Nullo enim modo probari potest, eos scripturae auctoritatem imminuere, ut traditionem magis efferre queant; aestimant potius et priorem et posteriorem pro iis, quibus gaudent virtutibus.

§. 23.

Cuncta haec, quae de traditione modo disputavimus, praemittenda erant eam ob causam, ut quaestionem nostram, an s. scriptura secundum Ecclesiae fidem explicari oporteat, bene solvere possemus. Summa vero disputationis haec erat: exstat et hoc tempore in ecclesia Apostolorum concio, eaque integra. Legitimi enim Apostolorum successores eam semper hominum Christianorum mentibus tanquam verba salutis aeternae commendarunt. Qua quidem in re tam provide egerunt, tantaque cautione usi sunt, ut, quoad homines intelligere valeant, ad veritatem perscrutandam et retinendam nec aptius quid neque firmius adhiberi

79) Adv. haer. III. c. 1. p. 173.

80) Cf. Synopsis. tom. II. n. 4. p. 131. ed. Ben.

potuerit. cf. §. 21. Quid est enim, quod nostrae rei maius veritatis testimonium praebeat, quam consensus omnium cuiusvis aetatis ecclesiarum, quae in omnes fere orbis terrarum partes propagatae sunt? Tot vero ac tantae ecclesiae, ut eleganter a Tertulliano dictum est, una est ecclesia, eaque quae ab Apostolicis fundata ab iisque repraesentata est.

Sed habemus, quo doctrinae, quae in hac ecclesia servata praedicatur, firmissimam veritatis auctoritatem vindicare possimus, ipsa sacra scriptura innitentes. Quae multa sane praebet testimonia, quibus dilucide declaratur, Christum ecclesiam suam ab omni errore defensurum. Quod vero ita fit, ut magisterium infallibile ei semper praeesse voluerit, quod quemcunque ab ea averteret errorem. Spiritum sanctum Christus Apostolis, quum ab illis discederet, mittere pollicitus est, qui eos doceret omnem veritatem, iisque omnia in memoriam revocaret, quaecunque dixisset. Joan. XIV 16—17. 26. XV. 26. XVI. 7—8. aliisque locis. Quem etiam, ut alibi legimus, vere iis donavit. «Loqui coeperunt (Apostoli) prout Spiritus s. dabat eloqui illis. Act. II. 4.; atque illud: «visum est enim Spiritui s. et nobis.» Act. XV. 28. Apostolorum itaque infallibilitas in dubitationem vocari nequit, nec, ubi singuli eorum docebant, nec ubi in unum convocati de Christi doctrina sententiam dicebant. Posterius quidem in rebus gravissimis quoque factum est, eo quidem consilio, ut aut Christianos in persuasione divinae doctrinae magis firmarent, aut, quod propius ad veritatem accedit, ut successoribus in tempora subsequentia exemplum praeberent, cuius ad normam controversias gravio-

res rite componerent. Quae vero ita definita erant, indubitata animi fiducia a Chrtstianis accipiebantur. [81]) Nam post Concilii Hierosolymitani sententiam (Act. XV.) nullus fuit de ceremoniarum obligatione dubitandi locus, quasi Christiani eam ex Christi ipsius percepissent ore. Haec potissimum causa est, cur ecclesia columna et firmamentum veritatis nominatur, (I. Tim. III. 15.) quae fideles tuetur, ne a veritate discedant; ne parvuli sint fluctuantes, neve circumferantur ab omni vento doctrinae. Eph. IV. 17. Quod si ad Apostolos solos refertur, Catholicos inter et Protestantes non est controversia; at negant posteriores, id ad tempora, quae subsequebantur, extendi oportere. Recte meritoque id vero Catholici concludunt ex tutela, quam Christus in sacra scriptura ecclesiae suae promisit, ut vel portae inferi eam destruere non sint praeva-

81) Cf. Bossuet exposition de la doctrine catholique: „L'église déclare la révélation divine par la direction intérieure du S. Esprit, qui lui est donné pour Docteur. — Cela fait paraitre la dispute, qui s'éleva sur le sujet des cérémonies de la Loi, du tems même des Apôtres; et leurs Actes ont appris à tous les siècles suivans par la manière dont fut décidée cette première contestation, de quelle autorité se doivent terminer toutes les autres. Ainsi tant qu'il y aura des disputes, qui partageront les Fidèles, l'église interposera son auturité; et ses Pasteurs assemblés diront après les Apôtres: „Il a semblé bon au S. Esprit et à nous." Et quand elle aura parlé, on enseignera à ses enfans qu'ils ne doivent pas examiner du nouveau les Articles, qui auront été résolus, mais qu'ils doivent recevoir humblement ses décisions etc." chap. 19. p. 40. ed. en 4to. Paris 1743.

liturae, ut potius mansura sit usque ad mundi consummationem (Matth. XXVIII. 20.), ubi Christus omnes iudicaturus redierit, (Matth. XXV. 31. seq.) qui adhuc huic mundo instat eventus. Nulla autem erat et est ecclesiae existentia, si Apostolis mortuis Spiritu veritatis destituta erat. Nullo enim modo Christus per eam propositum suum consequi poterit, cuius is erat finis, ut omnes omnium aetatum homines, postquam doctrinam Christianam animis suis imbibissent, salutem ex ea perciperent sempiternam. (I. Tim. II. 3. 4.) Quum enim Apostolis ad doctrinam Christianam integre pleneque promulgandam Christus Spiritum s. mittere necessarium duxisset, ne errores illi Apostoli insererent, multo magis eorum successores eo Spiritu duce egebant, quominus institutio divina, divino modo inchoata, humano modo atque turpiter statim pessumdaretur. Quo nihil providentia divina indignius vel dici vel cogitari poterit. Christus Dominus, divinus religionis auctor, stulto illi similis esset, qui, postquam turris fundamenta posuerat, non potuit opus perficere, ut omnes, qui videbant, inciperent ei illudere dicentes, hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare. (Luc. XIV. 28—30.) Cave ne putes, Deum aetatis posterioris fideles minori amplecti amore, ut nihil intersit, utrum doctrinam Christianam, in qua sola salus (Act. IV. 12.), recte intelligant necne. Neque opineris velim, Christianos post Apostolos magisterio infallibili facile carere potuisse. Historiam cum attente perlustraveris nec non communem vitam bene perspexeris, in contrariam te facile vertes opinionem, auctoritate nimirum indubitata semper ecclesiae opus fuisse, (cf. §. 12. p. 34. et §. 22.) ut discrimina de doctrinis

fundamentalibus, quae aut scriptura aut traditione continentur, e. g. de S. Trinitate, de Filio Dei, de Spiritu s., de gratia aliisque, vehementer exorta ita dirimerentur, ut post dictam sententiam res diutius in dubitationem vocari non posset. Qua quidem in re, ut historia testatur, exemplum ab Apostolis Hierosolymis datum semper servatum est. 82) Etenim ut tunc temporis omnes Apostoli coniuncti iudices sederunt, ita temporibus posterioribus, si non omnes, maior certe Catholicorum episcoporum numerus in Concilium generale, quod dicimus, convocatus, de controversia, si qua excitata existeret, dixit: «ita visum est Spiritui sancto et nobis;» et sententiam ab iis enuntiatam omnes Christiani pio animo venerabantur. Persuasum enim sibi habebant, Christum, ut promisit, omnibus diebus, usque ad consummationem mundi, apud ecclesiae praesides fore. Fieri non posse putabant, quae adversarii acerrimi 83) sunt verba, ut Deus Ecclesiam suam ita destituerit, ut a veritate maximi momenti aberraret. Verum est itaque grave illud Bossueti dictum: «Ecclesia catholica Christi promissionibus sola credit.»

Sed huius loci non est, doctrinam de necessitate ecclesiae nulli errori obnoxiae confirmare; satis erit paucis indicasse, quomodo Catholici in eccle-

---

82) Cf. Bellarm. l. III. c. 6. p. 146. seq.

83) Iurieu apud Boss. hist. variat. liv. XV. c. 48. „Est-il apparent, que Dieu ait abandonné l'eglise universelle à ce point, que toutes les Communions, unanimement dans tous les siècles, aient renoncé des verités de la dernière importance?“ p. 666.

siae suae doctrina, inconcussa animi fiducia conquiescere possint. Prolixius de hac re inter Veteres Paulus Pelissonius, qui a Reformatorum ecclesia ad Catholicam se convertit, et recentissimo tempore Möhlerus disserunt. «Lächerlich, inquit posterior, ist eine Offenbarung, die uns über ihren Inhalt im Dunkeln läſst, und keine gemeinsame feste und dauernde Verständigung über denselben unter ihren Anhängern hervorbringen kann; sie offenbaret eben darum Nichts, widerspricht dadurch, und widerspricht sich selbst.» 84) Simili fere ratione dicit Kleeius: «Ihr (der Kirche) magisterium, ministerium, ihre Auctorität in Beziehung auf das Göttliche, Wahrheit und Gnade, wäre ohne den Charakter der Unfehlbarkeit eine baare Nichtigkeit, eine logische und religiöse Blasphemie.» 85)

§. 24.

Vivum itaque habemus in ecclesia Catholica doctrinae testem, magisterium ecclesiae Spiritu s. ductum, quod ipsum litigantium utrinque rationes audire et sententiam eloqui valet. Hic iudex solus capax est, de sensu sacrae scripturae, quae saepe tanquam fragmentaria reperitur, (cf. §. 16.) sententiam dicendi, tum, quia totum doctrinae christianae argumentum, quasi cordi inscriptum, possidet, tum quod auctoritatem divinam prae se fert, nec ut homo, licet eruditione atque scientia, praestantissimus, errori obnoxius est dubioque subiacet. Nunquam enim mortales, quod ad religionis negotium

---

84) Cf. Symbolik p. 325.

85) Vide lib. I. p. 77.

attinet, in auctoritate hominis acquiescere possunt, quod Lutherus ipse professus est hisce verbis: «de nullo homine privato certi sumus, habeat necne revelationem Patris; **ecclesia autem ipsa est**, de **qua dubitare** non licet etc.» 86) Sed quis-

86) Apud Bellarm. III. c. 6. p. 143. Haec est potissimum causa, cur S. Patres ecclesiam, ut eam hominum doctrinae scientiaeque opponant, tamquam firmissimam, indubitatam ac inconcussam auctoritatem verbis extollant ornatissimis, atque omnium societatum nullam graviorem, nullam cariorem unicuique Christianorum esse debere contendant, quam eam cum Ecclesia. „Ubi enim ecclesia, inquit Irenaeus, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic ecclesia et omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mamellis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem; sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, et de coeno putidam bibunt aquam, effugientes fidem ecclesiae, ne traducantur; reiicientes vero Spiritum, ut non erudiantur.“ III. c. 24. n. 1. p. 223. „qui sunt extra ecclesiam, sunt extra veritatem.“ IV. c. 33. n. 7. p. 272.

Tertul. de praes. haer. c. 19. „Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei Christianorum, illic erit veritas scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum.“ p. 208. Ubi Deus non est, nec veritas ulla est. c. 43. p. 218.

Cyprian. de unit. Eccles. „Et pastores sunt omnes, et grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut ecclesia Christi una monstretur.“ — Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? — Quisquis ab ecclesia segregatus, adulterae iungitur, a promissis ecclesiae separatur; nec pervenit ad Christi praemia, qui relinquit ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere iam non potest

piam fortasse dixerit, sacrane scriptura ab homine trahit auctoritatem? Minime; sed homo est, qui humana scientia eam intelligere conatur, atque alius aliter. Nequaquam, contradixerit quispiam, scriptura est enim sui ipsius interpres. Perperam opinaris. 87) «Hoc nimirum in se mali habet scriptura, ut ait Plato, in quo reapse similis est picturae; nam huius quoque fetus constiterunt tanquam viventes,

Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. p. 195. ed. quam post Steph. Baluz. unus ex mon. Congr. S. Mauri curavit. Par. 1726.

Ambrosius Vercelleusi ecclesiae n. 41: „Mecum stas, si stas in ecclesia, ipse enim locus est sanctus, ipsa terra foecunda sanctitatis et opima virtutum messibus.“ n. 42. Sta ergo in ecclesia, sta ubi tibi apparui, ubi tecum sum. Ubi est ecclesia, ibi firmissima statio tuae mentis est; ibi fundamentum animi tui, ubi tibi de rubo apparui.“ p. 1032. tom. II. ed. Ben.

Vincentius Lir.: „Ille est verus et germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinae religioni, qui catholicae fidei nihil praeponit, non hominis cuiuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam, sed haec cuncta despiciens et in fide fixus stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit. c. 20.

Augustinus cont. ep. Manich., quam vocant fundamenti: „Evangelio non crederem, nisi me ecclesiae moveret auctoritas.“ cap. 5. tom. VIII. pag. 154. cf. cap. 4. ed. Ben.

87) Protestantes cum hoc interpretandi principium statuunt, ex mortuis vivos faciunt, ut ait Tertullianus. De praescr. haer. c. 30. sub fin.

sin quid eos interrogas, plane auguste tacent. (σεμνῶς πάνυ σιγᾷ) Eadem est sermonum ratio (οἱ λόγοι): existimes eos intilligentes loqui; sin autem de dictis aliquid eos interrogas, cupiens id cognoscere, unum indicant tantum semper idem; quum semel scriptus est, volutatur ubique omnis sermo pariter inter intelligentes atque inter eos, ad quos non pertinet, nec scit loqui apud quos debet, et ubi non debet, tacere; male dein tractatus, et iniuste reprehensus patris semper indiget auxilio; neque enim ipse se defendere neque auxiliari sibi potest.» 88) S. Scriptura igitur etiam Spiritu S., quo duce per Apostolos conscripta est, egere nequit, ut ea male tractata seu contorta defendatur. Ille vero, pro persuasione, quam Catholici ex ipsis N. T. libris percipiunt, ecclesiae semper adfuit, ibi potissimum, ubi symbola composita sunt, quae totius ecclesiae Christianae sensu unanimi Spiritus s. eloquia venerabantur atque venerantur. Hinc patet, quo iure Tridentini Patres statuerint, ut nemo in rebus fidei et morum s. scripturam ad suos sensus contorquere audeat, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero s. scripturae sensu. Erat illis enim persuasissimum, et s. scripturam et symbola ecclesiae, quae ab eiusdem magisterio uno tenore concionantur, Spiritu s. auctore prolata esse, ideoque scripturam et symbola unam ac eandem veritatem continere, (§. 11. p. 29.) cum Spiritus s. diversa ac inter se contraria eloqui nequeat. Pro iis autem, quae initio huius §. com-

---

88) Phaedri dialogus. Astii interpretatio.

memoravimus, ecclesia sola par est sententiam dicendo de sensu s. scripturae, tum quia Apostolorum traditionem, sacrae scripturae intime cohaerentem, custodit, tum quod eiusdem Spiritus s. eloquia de doctrina christiana distinctiora posterioris aetatis tenuit atque tenet, quae ab ecclesiae ministris fidelibus sermone commendantur. Itaque S. Irenaeus bene admonuit, omnem sermonem Christiano constaturum, si scripturas diligenter legerit apud eos, qui in ecclesia sunt presbyteri, apud quos est Apostolica doctrina.» 89) Postquam Christiani enim in ecclesia Apostolorum concionem audierunt, eadem fere conditione tenentur atque illi, ad quos N. T. libri dati sunt, qui, ut S. Joannes scribit, «veritatem iam sciunt, eumque iam cognoverunt, qui ab initio est.» (1. Joann. II. 13. 21.) Hoc solo adiumento innitentes sacrum codicem bene intelligere poterunt. Haud scio an sanus quis id negare audeat; ab adversario quidem gravi id ita defenditur, ut nihil deesse videatur. «Nur im Glauben der Kirche erzogen, inquit, kann der Christ eine heilige Schrift in der Bibel finden, und richtig verstehen, so wie es anderseits auch die Bibel ist, durch die der wahre Glaube in der Kirche sich rein und lauter erhalten kann. (?) Gleich grofs ist daher das Verderben von allen Seiten, ob die Kirche ihre heilige Schrift in der Bibel verläugnet, und den lebendigen Zusammenhang mit ihr unterbricht, durch den sie allein frisch und gesund erhalten werden kann, oder ob

---

89) Adv. haer. IV. c. 32. n. 1. p. 270.

man die Bibel ohne alle Objektivität des Glaubens in der Gemeinde, an deren Geist allein sie ihr wahres Verständnifs hat, besitzen, auslegen will.» 90) Idem fere S. Athanasius contra Arianos scripsit: «Quod autem etiam ea, inquit, quae nunc ex evangeliis opponunt, futilia admodum ac levia sunt, facile perspicere est, si inprimis, quis sit Christianae fidei scopus, perceperimus, eaque tamquam regula utentes lectioni scripturae, divinitus inspiratae, ut monet Apostolus, attenderimus. Hunc enim cum ignorarent Dei hostes, a via veritatis aberravere, et in lapidem offensionis offendĕre, ea sapientes quae sapere non oportet.» 91) Neque parum utilitatis praeberet disputationi meae, si historia adiuvante copiosius explicassem, de s. scriptura interpretanda in ecclesia Catholica semper mirifico consensu statutum esse: «ut secundum universalis ecclesiae traditionem et iuxta Catholici dogmatis regulas intelligatur; aut ut idem auctor, sicuti Patres Tridentini, negativa oratione loquitur: non praeter omnes vel contra omnes Sanctos i. e. ecclesiam catholicam, ut paulo ante dixerat. 92) Concilium itaque non quidem nova nos lege coarctavit, sed solum docuit, et nobis in memoriam revocavit legem antiquiorem, quam in ea re nobis suapte natura Fides impo-

90) Marheinecke: „Grundlehren der christlichen Dogmatik."

91) Orat. III. cont. Arian. tom. I. n. 28. pag. 579. ed. Ben. Cf. Clem. Alex. Strom. l. VI. p. 803. edit. Potter. Oxoniae 1715.

92) Cf. Vincent. Lir. com. c. 20 et 27.

suit. 93) Illud vero iusto longius me declinaret a proposito meo; quam ob rem liceat ad Pletzii commentationem copiosam, cuius §. 1. mentionem fecimus, lectorem ablegare.

§. 25.

Superest, ut proferamus, quantum ab ecclesia adhibita ratio de sensu s. scripturae iudicandi differat ab explicatione cuiusvis hominis literati. Qua quidem in re occasio dabitur, adversariorum calumnias, in decretum nostrum iactatas, ac si omnia per illud accurate determinata, nec quidquam interpretis diligentiae relictum esset, refutandi. Primum quidem admonendum est, ecclesiam in s. scriptura diiudicanda ad eadem tantummoda argumenta respicere, quae ad fidem aut mores pertinent; quod etiam in decreto nostro apertis verbis continetur. Id vero non ita fit, ut artis hermeneuticae subsidiis, qualia sunt idiomatum peritia, nexus, antiquitatum, historiaeque notitia utatur; multo potius his omnibus omissis ex summa totius scripturae de hoc aut illo dogmate iudicat, ad singulos locos parum respiciens. Sacra scriptura, ait Ecclesia, unum tantum Deum docet; duo de Salvatore nostro demonstrat, illum scilicet Deum semper fuisse et propter nos hominem factum esse; et similia. Cum autem locos quosdam affert, tantum abest, ut eos more docti interpretis eo consilio exponat, ut dogma aliquod exinde derivet, ut eos tantummodo dogmati declarato tanquam probabilia ad-

93) Pallav. VI. 18. n. 6.

dat. 94) Non interpretatur enim ecclesia, ut ait Maldonatus, verborum significationes, sed quod probabile est, sequitur. Quo fit, ut loci allati dogma propositum non semper stabilire valeant, etiamsi probandi momentum habere videantur. Ut exemplo utar, ad Sacramentum poenitentiae confirmandum complures ex sacra scriptura loci laudantur, quibus vero interpres doctus, illo apud Joan. XX. 22 et 23. excepto, tantam, ut dogma probare possit, vim non tribuet. Nonne ita ecclesiae auctoritas tollitur, dixerit quispiam. 95) Minime vero; constat enim inter omnes theologos, ecclesiae decreta a rationibus et declarationibus, quibus interdum ad dogmata fulcienda utitur, bene distingui oportere. Priora infallibilia iudicantur, posteriores vero tantum valent, quantum ad veritatem corroborandam pollent. «Generaliter dicimus, inquit Veronius, theologus praestantissimus, eorum quae continentur in capitibus, id solum et totum esse de fide, quod definitur, seu (ut loquuntur iuristae) solum depositivum arresti seu contenti in capite aut canone, est de fide; motivum vero arresti seu eius probationes, non sunt de fide. Ratio est, quia primum solum definitur, non autem motivum seu

94) Comment. ad Matth. XXVI. 26. p. 557.

95) Qua ex causa Münscherus in libro saepe laudato hoc fere monuit: „Man sieht es daher den so sehr gehäuften und meistentheils gewaltsam herbeigezogenen biblischen Beweisstellen in den Schriften der Kirchenlehrer deutlich an, dafs ihre Lehren nicht aus diesen Stellen abgeleitet sind, sondern dafs sie nur für ihre früher angenommenen Ueberzeugungen Beweise aus der Bibel aufgesucht haben." Tom. I. p. 344.

probatio.» 96) Eadem fere ratione Muratorius disseruit his verbis: «Plurimas tum rationes tum sacrarum literarum et Patrum sententias Concilia et romani Pontifices semper habent et congerunt, quum dogma quodpiam rite decernunt. Sunt autem inter istas multae invictae; et ab impiis tantum aut dementibus in controversiam adducendae; sunt et aliae probabiles tantum et verisimiles, quae tamen invicem robur sibi dant, et accipiunt; et aliae quoque interdum possunt animadverti, quae nihil ad rem propositam faciunt.» 97) Licet vero ecclesia hanc generalem interpretandi rationem semper retinere soleret, nihilominus recentioris temporis iniquitate coacta est, nonnullos N. T. locos sensu certo atque definito explicare. Tales vero sunt iste apud Matth. XXVI. 26—28. et qui huic loco respondent apud Marc. Lucam et Paulum I. Cor. XI. 23—25. cf. Conc. Trid. sess. XIII. c. I. p. 137.; deinde illi apud Joan. III. 5. sess. VII. can. II. p. 97., Rom. V. 12. sess. V. n. 4. p. 15., Eph. II. 3. sess. VI. c. 1. p. 49., Joan. XX. 22. 23. sess. VI. c. 14. p. 59. et sess. XIV. can. III. p. 138., Jacob. V. 14. sess. XIV. de extrema unctione can. IV. p. 187. edit. Gallemarti.

Causa vero, cur hos potissimum locos Patres Trid. distinxerint, haec erat, quia Reformatores eos contra ecclesiae Catholicae fidem, aut contra eum sensum explicare audebant, quem perpetuus eccle-

96) Cf. Regula fidei p. 20. ed. Colon. 1779.

97) De ingeniorum moderatione in religionis negotio l. I. c. 19. p. 191. ed. Aug. Vind. 1779.

siae Catholicae consensus tenuit et expressit. 98) Hi loci enim omnes fere iis adnumerandi sunt, qui tanta verborum ambiguitate laborant, ut, nisi traditio Apostolorum accesserit, non facile recte intelligi possint.

Primum locum, ex illis quos attulimus, quod attinet, placet admonere, praestantissimos Reformationis tempore theologos per multos annos de eiusdem sensu acerrime, licet frustra, disputasse, verbis scripturae solis innitentes. Sed ubi cognoverunt, controversiam ita dirimi non posse, Melanchthon et Oecolampadius traditionem, initio prorsus repudiatam, recipere coacti sunt. Utinam mente sincera atque animo integro historiam consuluissent, Catholicum sane de sacra coena declaratum dogma, apud antiquissimas ecclesias reperissent. Neque minus interpres doctus de sensu aliis locis subiecto contentus erit, etiamsi profiteri non haesitabit, verba per se sola esse ambigua atque aliunde luce egere, ut hoc sensu necessario intelligi debere dixeris. Auxilium vero, quod ad hanc rem ecclesiae traditio praebet, tanto utitur veritatis testimonio, quanto nullum aliud historiae argumentum gaudet. Quum interpres itaque scripturae verbis ad sensum verum inveniendum destitutus, ad traditionem, quam sacra scriptura supponit, confugerit, doctrinae severitatem non deseret, sed exercebit.

Quibus praemissis non difficile erit intellectu, quam iniustum sit Protestantium, quod in Catholicos conferunt, opprobrium, fabulantes expli-

---

98) Cf. Sess. Conc. Trid. VI. cap. 8. pag. 54.

cationem interpretis Catholici, nihil aliud moliri et efficere posse, nisi decisionum, quae ab ecclesia datae sunt, narrationem. Cuius criminationis si non auctor, certe patronus est Marheineckius: «Alle einzelnen exegetischen Bestrebungen, inquit, können diesem gemäfs nichts anders wollen, als nur den Sinn klar machen, welchen die Kirche mit einer Stelle der h. Schrift verbindet.» 99) Perpauci enim exstant loci, quos ecclesia iudicis auctoritate ita declaravit, non autem arte hermeneutica interpretata est, ut interpretem a sensu edito rite discedere non liceat. In omnibus aliis locis nihil eum prohibet, quominus cunctis artis hermeneuticae subsidiis sapienter utatur. Atque latus sane ei patefactus est campus, in quo omnem operam navabit, ut ex solis sacrae scripturae verbis illum eruat sensum, quem vir theopneustus, quum haec scriberet, animo revolverit. Qua quidem in animi

99) System des Katholicism. tom. II. p. 76. 77. Auctor minus de aliis retulisse, quam de semetipso vaticinatus esse videtur, quum in praefatione huiusce libri haec scriberet: „Das System des Katholicismus mit besonderer Genauigkeit zu durchforschen und ausführlicher darzustellen bestimmte mich — die grofse Unkunde derselben, die sich neuerlich wieder bei Gelegenheit der Vereinigungsplane an so verschiedenen Punkten, sowohl bei Katholiken als Protestanten zu Tage gelegt und die heillose Verzerrung, womit es nicht nur in alltäglichen Ansichten, sondern auch in den wissenschaftlichen der neuern Protestantischen Theologen und Kanonisten, die alles an demselben nur äufserlich zu nehmen gewohnt sind, so gräulich entstellt worden, dafs es ein Jammer ist.“ Tom. I. p. V.

ac virium exercitatione interpres ea est mente et persuasione, ut ex ullo, licet severissimo, examine, si modo bene institutum fuerit, scriptura aeque ac ecclesia non detrimentum, sed commodum perceperit. Tantum vero abest, ut e sacra scriptura exstirpare audeat, quae ecclesiae dogmatis contraria sint, ut aut errasse se putet [100]) aut ex ea discedere malit, si virum bonum et probum se praestare velit; sin minus, ecclesia eum a communione excludit. Idem vero ecclesia Protestantium, aut quaecunque alia fuerit, expetere debet, nisi ad nihilum recidere velit, quod iam accurrate, ut nobis videtur, §. 11. expositum est. Hoc vero non omittendum est, potissimum quae sunt Protestantes inter et nos controversiae, ut venerabilis Plankius [101]) recte disseruit, ex traditione omnes fere esse derivatas. Interpres Catholicus itaque non habet, cur eas scripturae artificiose intrudat. Uterque igitur in iis, quibus Catholici ac Protestantes consentiunt, eandem adversus ecclesiam rationem observare debet. Protestantium interpres autem saepius verba premendi necessitatem sentiet, ne quod ecclesiae dogma amittat, quum nullum alium nisi scripturae fontem agnoscat, dum

100) „Ma doctrine, professus est pius Francogalliae episcopus Fénélon, ne doit point être ma doctrine, mais celle de Jesus-Christ, qui envoie les Pasteurs. Malheur à moi, si je disais quelque chose de moi même. Malheur à moi, si dans la fonction d'instruire les autres, je n'étais pas le plus docile et le plus soumis des enfans de l'église Catholique, Apostolique et Romaine." Cf. comm. Vinc. Lir. cap. 9.

101) Abrifs einer historischen und vergleichenden Darstellung der dogmatischen Systeme. 3te Aufl. pag. 85. u. 86.

interpres catholicus ingenue fatebitur, hoc vel illud ecclesiae dogma scriptura sola non satis munitum esse, dogmate nimirum integre reservato; ecclesiae traditio enim illud satis tutatur. Hinc patet, imprudentissime a Lückeo verba iactata esse haec: «Erst gegen das Ende des achtzehnten Jahrhunderts erwachten in der katholischen Kirche, vorzüglich aber nur in Deutschland, mit dem Studium der Exegese auch die ersten Versuche der Hermeneutik, weniger von Innen als von Aussen angeregt. In keinem der erschienenen hermeneutischen Werke zeigt sich ein eigenthümliches Leben der Kunst und Wissenschaft der Auslegung; in allen nur ein allmähliches Losreifsen von den überstrengen Banden der kirchlichen Autorität und zum Theile schüchterne Nachahmung protestantischer Werke.» 102)

CAPUT III.

NON LICET SACRAM SCRIPTURAM INTERPRETARI CONTRA UNANIMEM CONSENSUM PATRUM.

§. 26.

Nullum fere est aliud theologiae argumentum, quod Protestantes, quemadmodum complures Catholi-

102) Grundrifs der Neutestamentischen Hermeneutik. pag. 215.

corum, male intellectum magis perverterunt, quam quod nunc aggredimur, quomodo scilicet S. Concilium et vetus ecclesia intellexerit unanimem consensum Patrum: dictum hoc enim primis ecclesiae saeculis iam usitatum erat. Ex S. Patribus de hac re opulentissime atque magna cum perspicuitate disseruit S. Augustinus [1]), cuius vestigia Reformationis epocha Melchior Canus [2]) ita secutus est, ut orationes, animum sane perfringentes, ab Augustino ad Julianum habitas, iisdem fere verbis eademque fere forma apud Canum ad Caietanum accommodatas invenias; at opineris nolim, auctorem nihil novum et tempori suo accommodatius addidisse. Tanto amore enim ad hunc laborem accessit vir ingenuus, tantamque ei navavit operam, ut rem ita confirmatam esse putaret «ut ultra referri quaestio non posset.» (c. III. n. 10. p. 223.) Neque parum huic rei utilitatis perceperis ex lectione praestantissimi libri, quem Bossuetus [3]) eo conscripsit consilio, ut contra Richardum Simonem potissimum Traditionis et S. Patrum auctoritatem et vindicaret et tutaretur. Dallaei vero et Riveti conatum callidum atque artificiosum Natalis Alexander ita infregit, ut iste Protestantium theologus, illis accurate perlectis, nullo modo contumeliosam hanc orationem de Patribus, quae nunc demum a religionis negotio aliena esse deberet, disputationi suae intrudere ausus esset. 4) Est vero haec:

1) Contra Julian. Pelagium. Lib. I. et II.

2) Loc. theol. Lib. VII.

3) Défense de la Tradition et des S. Pères.

4) Hist. eccles. tom. V. pag. 470.

«Darum ist es auch ein so bittersüfses Gefühl, welches zurückbleibt in jedem, der den Dallaeus de usu Patrum gelesen. Denn man lese nur die herrliche Kritik, womit er sich über jenen Kanon verbreitet hat, den Vincenz von Lirin in Rücksicht der Kritik der Kirchenväter aufgestellt, und frage sich dann, ob es noch möglich sei, auch historisch durchs Einzelne die Uebereinstimmung derselben in den nicht in der h. Schrift enthaltenen Lehren, und was sie gemeinsam und alle über diese gedacht, zu erforschen.» 5)

Aggrediar iam ad propositum, cum prius nonnulla de Patrum auctoritate, ipsis in ecclesia tributa disseruero. Duae potissimum causae sunt, cur Patres in honore habeantur: aut enim testes illos et defensores ecclesiae doctrinae atque organa veneramur, per quos Dominus noster doctrinam suam integram incorruptamque ad nos propagari curavit, aut admiramur eorum ingenium atque eruditionem, quibus fidei dogmata illustrarunt, sive per eos propter vitae sanctitatem ad ipsorum aemulationem excitamur. Tales enim sunt, ut S. Augustini 6) verbis utar, qui in ecclesia Catholica doctrinae sanae studiis claruerunt; spiritualibus armis muniti et accincti, strenua contra haereticos bella gesserunt; perfuncti fideliter suae dispensationis laboribus in pacis gremio dormierunt. Sancti in sancta ecclesia illustres antistites Dei fuerunt, non Platonicis et

5) Marheinecke in libro, cui titulus: „Studien von Daub und Kreuzer. tom. IV. pag. 302. in animadvers.

6) Libro I. cont. Jul. Pelag. c. VII. n. 30. pag. 515. Tom. X. lib. II. c. IX. n. 34. p. 549.

Aristotelicis, et Zenonicis aliisque huiuscemodi, vel Graecis vel Latinis, quamquam et istis aliqui eorum, verum omnes sacris literis eruditi, — ut in eis timeas non ipsos, sed illum qui sibi eos vasa utilia formavit, et sancta templa construxit; tales fuerunt: quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Quae cum ita sint, ecclesia Patribus magnam semper conciliavit auctoritatem atque dignitatem, in iis potissimum rebus, ubi ecclesiae fidem unanimi assensu testantur. Concilium Chalcedonense an. 451. statuit, ut sanctorum Patrum fidem servemus, iisque utamur testibus ad nostrae fidei firmitatem. Concilium Constantinop. II. an. 551. S. Patrum ita fere mentionem facit: «Confitemur fidem tenere et praedicare ab initio donatam a magno Deo et Salvatore Jesu Christo S. Apostolis, et ab illis in universo mundo praedicatam, quam et S. Patres confessi sunt et explanarunt et s. ecclesiis tradiderunt, et maxime, qui in sanctis quatuor Synodis convenerunt.» Neque aliter Concil. Constantinop. III. de S. Patribus loquitur; Concilium denique Tridentinum, de quo agimus, proposuit dictum illud: ut nemo contra unanimem consensum Patrum sacram scripturam interpretari audeat.

Sed iam ad instituta pergamus, quonam nempe modo unanimis Patrum consensus intelligi debeat. Quod adversarii opponere solent, optime, opinor, occupabimus, cum perspexerimus, qua quidem in re Patrum consensus non contineatur; inde perspicuum erit, plurima ex iis, quae opponuntur, locum prorsus non habere. Primum quidem, Vincentio

Lir. auctore 7), Patrum consensus non in omnibus divinae legis quaestiunculis, sed solum, certe praecipue, in fidei regula investigandus atque sequendus est. Deinde S. Augustinus ingenue fatetur, multas esse quaestiones, in quibus salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, et sententia definitiva suspenditur, aut aliter, quam est, humana et infirma suspicione coniicitur. Veluti quum quaeritur, qualis vel ubi sit paradisus — cum tamen esse illum paradisum fides Christiana non dubitet etc. Quis enim non sentiat, in his atque huiusmodi variis et innumerabilibus quaestionibus — et multa ignorari salva Christiana fide, et alicubi errari sine aliquo haeretici dogmatis crimine. Sed longe aliter se habet quaestio, in qua proprie fides christiana consistit. 8)

Neque aliter Tridentini Patres unanimem consensum Patrum intellexerunt; tantum absunt, ut constituant, piaculum esse a Patribus discedere in quaestionibus historicis, philosophicis aliisque huiuscemodi rebus, quibus sacrae literae vastam suppeditant materiem, ut potius conceptis verbis exhibeant, sensum ecclesiae a S. Patribus unanime pronuntiatum tantummodo audiendum et fideliter conservandum esse, quum agitur de rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium. Et eum Concilii Canones et decreta attente legeris, persuasissimum tibi habebis, Synodum unanimem consensum Patrum ita intelligi

7) Commonitor. cap. 28.

8) Aug. cont. Pelag. et Coelestinum l. II. de peccato originali. cap. 23. n. 27. pag. 264. tom. X.

voluisse, ut idem significet, ac ecclesiae doctrina sive traditio, cuius et testes et defensores S. Patres indicantur. Quod quo demonstremus, in promtu est. (Sessione VI. c. 8. p. 54.) Patres admonuerunt, verba, quae in ep. ad Rom. (I. 17., et III. 24.) leguntur, eo sensu intelligenda esse, quem perpetuus ecclesiae Catholicae consensus tenuit et expressit (Sess. XV. c. 1. p. 162.), sensum verborum apud Joann. 20., 23., ita definiunt, ut universorum Patrum consensus locum illum semper intellexerit. De eodem loco infra dictum est «sicut ecclesia Catholica ab initio semper intellexit.» Canone III. eiusdem Sessionis p. 183. Quibus plura subiungere non est necessarium, quamquam non desunt. Unde patet, Synodum in decreto nostro verbis «contra unanimem consensum Patrum» subiunctis non addidisse, quod dictum antecedens «contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. mater ecclesia» non contineret; de quo capite secundo disputatum est. Neque, locis insignioribus exceptis, aliam facile consensionem in S. Patrum explicationibus inveneris, nisi illam, quae unam eandemque ecclesiae doctrinam fidei et morum repraesentat. In iis enim locis, qui fidem non attingunt, miram sane ingenii ubertatem, qua gavisi sunt, diverso more excoluerunt. Inanis itaque est adversariorum criminatio, interpretem Catholicum S. Patrum mysticas seu allegoricas interpretationes sequi debere. Primo constat enim apud omnes, S. Patres in illis interpretationibus minime consentire; multos potius ex illis explicationes allegoricas et mysticas prorsus repudiare. «Mystica prae literali divinae scripturae explicatio, ait Hieronymus, ludus est puerilis.»

Deinde vero decretum nostrum pravae isti opinioni nulla ex parte favet. Illud autem commemorare ab hoc loco non alienum esse putavi, multos exstare s. scripturae locos, qui hodie propter verborum ambiguitatem in varios sensus distrahi queant. Non est autem quod dubites, quin S. Patres, quod Apostolorum tempora proxime attigerint, sive ad veterum traditionum originem propius accedant, longe melius intelligere potuerint. Quum itaque unum vel alterum locum omnes fere consentientes eodem sensu intelligunt, magnum sane est veritatis testimonium; et maximae levitatis est, S. Patres deserere, nisi gravissimae prolatae fuerint causae. 9) Quod si Gratzius in Commentario ad S. Matthaeum minus neglexisset, longe meliorem librum in lucem edidisset.

Quibus breviter disputatis non potest mirum esse, quo iure Pallavicinius Caietanum Cardinalem, a Melchiore Cano valde impugnatum, defenderit. Dixerat scilicet Caietanus in praefatione ad Pentateuchum: «Nullus itaque detestetur novum s. scripturae sensum ex hoc, quod dissonat a priscis doctoribus, sed scrutetur perspicacius textum ac contextum scripturae, et si quadrare invenerit, laudet Deum: qui non alligavit expositionem scripturarum sanctarum priscorum doctorum sensibus, sed scripturae ipsi integrae sub Catholicae ecclesiae censura.» Quae principia Pallavicinius ita fere tutari conatus est: «Prohibet quidem Con-

---

9) Respicio potissimum ad locos: Matth. IV. 1. seq.; XVII. 1. seq.; Act. II. 4. comp. cum X. 46.; I. Cor. XII. 28.; XIV. 4. et similes.

cilium, ne sacris literis aptetur interpretatio repugnans unanimi S. Patrum sententiae, idque in rebus tum fidei tum morum; at Caietanus, ut ut rem Canus intelligat, de his minime loquitur, neque unquam declarat, fas esse adversus communes S. Patrum sententias obviam ire, sed fas esse, depromere scripturae expositionem prorsus novam et ab omnibus eorum expositionibus diversam. Etenim quemadmodum ipsi discreparunt inter se in illius explicatione sententiae, adeoque singulae illorum explanationes per se ipsas dubitationi subiacent; ita cet.» 10) Atque haec quidem hactenus. Copiosius de S. Patrum interpretatione disputabimus, cum antea illis responderimus, qui S. Patrum consensum, quomodo a nobis expositum est, valde urgere solent.

§. 27.

Primum quidem adversarii opponunt, S. Patres ipsos fortiter repugnasse, ne fides indubitata ipsis adhibeatur. Nec desunt testimonia a quam plurimis S. Patribus, quae id extra omnem dubitationem ponunt. Unum ex illis proferri sufficiat. «Ita legendos esse, docet Augustinus, scriptores ecclesiasticos, ut, quantacunque polleant sanctitate et doctrina; cet.» Facile respondetur, his et similibus locis esse sermonem de doctrina, qua unus vel alter excellat, minime autem de doctrina Christiana. Quam cum testari profitentur S. Patres, nullum errori locum esse pronunciant, atque unanimem praeprimis in his consensionem certissimam regu-

10) VI. c. 18. n. 2.

lam affirmant, quae sine totius religionis iactura violari nequeat.

Deinde vero fieri non posse contendunt, ut S. Patrum consensum in iis, quibus doctrinae Christianae testes se praestiterunt, bene recteque perscrutemur. Quod quidem argumentum Dallaeus in libro illo «de usu Patrum» vehementissime infitiatus est; deinde vero Marheineckius iisdem fere verbis reddidit, ita disputans: «Wie sollte man überhaupt nun auch unter so viel tausend Schriften der Väter, die durch so vieler Hände gegangen, die ächten Schriften von den unächten so leicht unterscheiden können; wie, ehe dieses mit Gewifsheit und Genauigkeit geschehen ist, jede einzelne Meinung der einzelnen Kirchenväter über Sachen des Glaubens, und also auch der consensus aller darin mit Sicherheit eruirt werden können?» 11) Omnia, quae sequuntur nec non antecedunt, legi possunt apud Dallaeum (l. II. c. 1.). Habeo quod respondeam. Equidem non diffitemur, maximi hoc negotii esse opus; at illud omnino absolvi non posse negamus. Nec ignotum est, quantum auxilii hominum literatorum diligentia atque assiduitate praestitum sit. Monitum est capite secundo, magnam sane vigilantiam semper in ecclesia adhibitam esse, nequis nova vel doctrinae Christianae contraria doceat. Idem vero non minus observatum est, cum S. Patrum scripta legerentur posteaque commendarentur. Levis tantummodo haeresis suspicio prohibuit, quominus scriptores auctoritatem assequerentur, qua opus erat, ut ab ecclesia universali

---

11) Cf. Studien von Daub und Kreuzer. IV. B. p. 327.

integri doctrinae christianae testes agnoscerentur. Tertullianus, Origines, Eusebius aliique praesto sunt exempla. Copiosius vero de hac re disseruit Vincentius Lirinensis. «Eorum, inquit, Patrum sententiae conferendae sunt, qui in fide et communione Catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes et permanentes, vel mori in Christo fideliter vel occidi pro Christo feliciter meruerunt etc.» 12) Aliorum libri autem haud pari fide legebantur. «In Tertulliano, inquit Hieronymus, laudamus ingenium, sed damnamus haeresin. In Origine miramur scientiam scripturarum et tamen dogmatum non recipimus falsitatem. In Didymo vero et memoriam praedicamus et super Trinitate fidei puritatem; sed in caeteris, quae Origeni male credidit, nos ab eo retrahimus. Magistrorum enim non vitia imitanda sunt, sed virtutes.» 13)

Illud vero commemorari quoque oportet, S. Patres cum de dogmate loquuntur, saepe verba adhibere, quae professionem fidei exprimant, v. g. credimus, confitemur, Christus dixit vel iussit; Apostoli tradiderunt, credit et tenet ecclesia. Haec breviter monita sufficiant.

§. 28.

Restat, ut de S. Patrum virtutibus in explicanda s. scriptura adhibitis nonnulla subiungamus. Etenim saeculo proxime praeterito Richardus Simon

---

12) Comm. cap. 28.

13) Advers. Ruf. l. III. Tom. IV. ed. Ben. pag. 463.

et Rosenmüllerus potissimum [14]), quem alii secuti sunt, S. Patribus omne fere de interpretatione S. scripturae meritum detrahere ausi sunt. Tanta erat animi perversitas, ut vel optimos quosque S. Patrum interpretes, si non haereticis eiusdem aetatis, at certe recentioris temporis interpretibus longe inferiores esse contenderent. Qui S. Patrum despectus inde ortus esse videtur, quia critici illi, quales salutari volebant, ea fuerunt mente, ad S. scripturam bene recteque intelligendam nihil fere aliud, nisi idiomatum peritiam requiri atque desiderari, qua, Origene et Hieronymo exceptis, omnes fere destituti erant, cum ad linguam hebraicam potissimum respexeris. Neque omiserunt hanc ridiculam sane sententiam, quoad fieri potuit, promulgare. Hoc vero idem est ac si dixeris, Pindari vigorem vel Platonis sublimitatem te tunc statim intellecturum, si graecas literas callueris. Eadem fere ratione Paulus Sarpius, cum de ingenii dotibus Caietani Cardinalis, in explicanda S. scriptura feliciter adhibitis, iudicium suum proferret, hebraici sermonis peritiam tamquam summam eiusdem virtutem extollit. Quam quidem ad rem Pallavicinius optime respondit haec: «Quod attinet ad Caietanum, qui eum ex editis in sacras literas commentariis aestimat, perinde sese habet, ac qui non ex pennis, sed ex pedibus pavonis pulchritudinem aestimat: nempe accidit, ut hominis praecelsa mens in aliis quidem operibus admirabilis, in his ducem secuta, hebraicae magis

---

14) Ille in libro, qui inscriptus est: „Histoire critique des principaux commentaires du N. T.“, hic in historia interpretationis, quae V. partibus exstat.

grammaticae quam divinae sapientiae gnarum, iacuerit in gloria.» 15) Lutherus vero nervose ac turbulenter, ut solebat, contra eos dixit, qui hebraici sermonis peritiam in coelum laudibus extollebant, S. Patrum vero intelligentiam S. scripturae inepte ac immoderate despiciebant. Ipsa eius verba, quae facile noscitaveris, haec sunt: «Wenn es sollte Wünschens und Wählens gelten, entweder, daſs ich S. Augustini und der lieben Väter Verstand in der Schrift sollte haben, mit dem Mangel, daſs S. Augustin zuweilen nicht die rechten Worte oder Buchstaben im Hebräischen hat, oder sollte der Juden gewisse Worte und Buchstaben, ohne S. Augustin und der Väter Verstand: ist gut zu rechnen, wozu ich wählen würde: ich lieſse die Juden mit ihrem Verstande und Buchstaben zum Teufel fahren, und führe mit S. Augustin's Verstand ohne ihre Buchstaben zum Himmel.» 16) Neque minus Bossuetus omnem navavit operam, ut pravam Criticorum illorum opinionem divelleret. In libro supra laudato Simonis iudicium de S. Patrum commentariis redditum modo gravissimis perfringit argumentis, modo facete dictis illudit. Ipsum audiamus. 17) «Quant aux critiques modernes, inquit, qui s'imaginent faire les savans et les grands hébreux, en soutenant les solutions des Rabbins contre les Pères, et même leur en fournissant de nouvelles à l'exemple de Grotius, nous disons avec s. Justin:

---

15) VI. c. 17. n. 2.

16) Cf. Ueber die Auslegung der letzten Worte Dav. III. Seite 2783.

17) Liv. III. chap. 30. Tom. 1. p. 251.

que s'ils ne méprisent ceux, qui s'appellent Rabbi Rabbi, comme Jesus Christ le leur reproche, ils ne tireront jamais aucune utilité des Prophétes; ce qui pour des Chretiens, est une perte irréparable, puisqu'elle entraîne avec elle celle de la foi etc. Alioque loco: 18) pour venir aux Interpretes latins, M. Simon est de si bon goût, qu'il ne paraît estimer véritablement que le Diacre Hilaire schismatique Luciferien, et Pélage l'hérésiarque — ajoûtant même, qu'il y a peu d'anciens Commentaires sur les epîtres de S. Paul, et même sur tout le N. T., qu'on puisse comparer à celui-là. — Voilà donc les deux auteurs de M. Simon, et je ne sais lequel des anciens, selon lui,„ on leur pourrait comparer dans l'explication des livres saintes. S. Chrysostôme n'apprend pas la lettre, S. Jerôme ne raisonne pas; S. Ambroise — est — mis beaucoup au-dessous du diacre Hilaire. — Que reste-t-il donc à l'église, si non Hilaire et Pélage, qui joints avec Socin et Grotius lui apprendront le sens litteral. 19) Sane

18) Liv. IV. chap. 14. Tom. I. p. 304. et seq.

19) Idem perpaucis exceptis ad Rosenmüllerum multo magis accommodari potest, qui in historia interpretationis conscribenda semper fere Simonis vestigia est secutus. Quam quum attente legeris, semper fere in laudes quorumque haereticorum maximas incides. De omnibus, praeter Chrysostomum et Hieronymum, S. Patribus haec fere iudicavit: „non magnos progressus in arte interpretandi s. scripturam fecerunt. Causa erat ignorantia linguae hebraicae; maluerunt in linguae suae cognitione acquiescere; allegoricum interpretandi genus, quo nihil futilius ac facilius erat sectari, quam grammatice singula, ut decuit atque nunc facimus, explicare. Quisquis

quidem homines isti aperte significare videbantur, ecclesiam ad eam usque aetatem, qua ipsi florebant, recta s. scripturae intelligentia destitutam fuisse, atque versionem, quae verborum tenacior cum perspicuitate sententiae fuerit, qualem Augustinus [20]) Italam laudat, nullum intelligentiae auxilium praebuisse. Quibus liberaliores sunt Protestantes recentissimi temporis, quum de S. Patrum scriptis iudicant. Longe plurimi eorum, qui praestantissimi quique nunc habentur, multas animi et ingenii dotes, quibus excellunt, S. Patribus debent. Bossueti illa praeclara: «quiconque veut devenir un habile théologien et un solide interprete, qu'il lise et relise les Pères» — optime in usum suum converterunt. Ac quis sanus quaeso negare audeat, multos S. Patrum s. scripturae interpretes doctrina atque ingenio maxime excelluisse, praesertim quum in memoriam revocaverit, quo animo ac mente interpres ad S. scripturam accedere debeat, ut in cogitationum altitudinem descendat. Non minus accommodate quam vere S. Athanasius ait: praeter studium ad veram scripturarum cognitionem, vitae quoque integritas et munditia animae, quemad-

enim summa capita theologiae et ethicae christianae norat, et facultatem aliquam vernacula lingua dicendi sibi comparaverat, ex quolibet loco scripturae quidlibet poterat reducere, allegoricis nimirum machinis prout libebat, adhibitis; deinde vero praeiudicium auctoritatis et vana opinio de traditione quadam non tantum dogmatica, sed etiam hermeneutica, a qua discedere piaculum esse credebatur, abfuit ingenuo et liberali exegesis s. scripturae studio. Pars III. in Corollariis primae sectionis.

20) De doctrina christ. II. 15.

modum christiana virtus necessaria est, ut per eam mens incedens, ea, quae expetit, assequi, et Dei verbum, quantum humanae naturae licet, comprehendere queat. Si quidem nemo Sanctorum verba sine pura mente et illorum vitae imitatione intelligere potest. Nam quemadmodum qui solis lucem videre cupit, oculum abstergeat et expurget, ac se ipsum quodammodo soli similem reddat, necesse est, ut oculus ita affectus solis lucem videre possit: ita qui theologorum mentem et sensum percipere optat, animam vitae sanctitate prius abluere et purgare atque ad ipsos Sanctos morum similitudine debet accedere, ut, vitae instituto cum illis veluti consociatus, ea, quae ipsis Deus patefecit, intelligat.» 21) Quibus optime conveniunt, quae S. Bernardus Fratribus de monte Dei etiam atque etiam commendavit. «Quo enim spiritu, inquit, scripturae factae sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendae sunt. Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonae intentionis in lectione eius et studio assiduae meditationis, spiritum eius imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsius Psalmorum indueris affectus.» 22) Tales vero virtutes plerosque S. Patrum videntur potius attingere. Coelesti lumine pleni, quod ex fide, adiutrice divina gratia in eis subortum erat, ardentissimo Dei amore accensi, quem ex fide susceperant, non more nostrorum, accentus, syllabas

21) De incarnat. Verbi Dei. n. 57. p. 96. ed. Ben. tom. II.

22) Cf. ep. ad Fratr. de monte Dei. lib. I. cap. 10. p. 31. ed. Ben. tom. II. Cf. Bossueti lib.: défense de la tradit. etc. liv. IV. chap. 15. et 18.

ac verba venabantur, sed spiritum veritatis, spiritum sapientiae et divini amoris, qui non e verbis in animos redit, sed quo verba collustrantur et ad vitam suscitantur. A quo quam diverse plerique nostri temporis agunt, qui non divinae veritatis, sed opinionum suarum, quas superbia ducti susceperunt, confirmationem, in sacris scripturis quaerunt; quibus igitur sacra scriptura non est reflexus divinae veritatis, quam Salvator in eis deposuit, sed suarum opinionum, suorum studiorum, et cupiditatum, suae saepe pravitatis.

Sanctorum Patrum praestantiam, ut iam supra monuimus, Protestantes recentissimi temporis apertis verbis declarant, atque eo potissimum probant, quod in explicanda s. scriptura saepe S. Patres duces sequuntur, ut ex Tholuckii praeprimis commentariis cognoveris. Ex quo vita, quemadmodum doctrina, multum sane utilitatis percipient. Utinam omnes s. scripturae interpretes hanc viam insistant, et si minus imitatione tantam ingeniorum praestantiam consequi possint, voluntate certe proxime accedant. A re non alienum fore opinor, hanc disputationis partem Lückii verbis, quae sequuntur, concludere: «Man hat in der neuern Zeit auch in der protestantischen Kirche angefangen, über den Werth und Nutzen der älteren griechischen und lateinischen Ausleger gerechter zu urtheilen als früherhin. Man gibt zu, dafs die bessern unter ihnen nicht selten die richtigsten und bewährtesten Auslegungen haben, dafs ihr exegetisches Genie und Talent, so wie ihre Methode oft erfreulich und musterhaft, immer aber bildend sind; ja dafs selbst die weniger guten im schlimmsten Falle auch durch ihre Irrthümer lehrreich sein können.

Kurz man stimmt immer mehr darin überein, dafs das genauere Studium der alten Interpreten den gelehrten Auslegern eben so unentbehrlich und unerläfslich ist, als das der neuern.» 23)

Pro instituto nostro postrema disputationis pars in eo consistit, ut interpretem Catholicum cum illo comparemus, qualem eum in Protestantium ecclesia videmus.

Id vero ita persolvere conamur, ut, quae in disputatione nostra hanc rem passim et disperse tetigerunt, complectamur, ut uno quasi obtutu conspici possint. Primo quidem uterque in eo consentit, ut contendat, s. scripturam eo spiritu atque ea animi affectione legendam esse, qua conscripta est, maxima nempe animi puritate et sinceritate. Simili modo, atque iisdem rationibus innitens sanus 24) ecclesiae Protestantium interpres cum

---

23) Conf. Anhang zum Comment. der Briefe des h. Johannes. pag. 296.

24) Cf. Twesten in lib. l. p. 456. c. 57. „Die Voraussetzung einer durchgängigen Harmonie und Einheit der Bibellehre ist von der Anerkennung der Offenbarung und Inspiration gar nicht zu trennen. — In der neueren Zeit hat man sich freilich bemüht, die eigenthümlichen Verschiedenheiten der biblischen Schriftsteller nicht blos in der Darstellung, sondern auch in der Auffassung der Wahrheiten des Christenthumes bemerklich zu machen. Dies darf aber nie so weit gehen, dafs die Idee der Glaubensanalogie dabei Gefahr liefe. Denn wäre wirklich Christus eigene Lehre von der des Johannes, diese von der des Paulus u. s. w. so abweichend, wie einige scheinen behaupten zu wollen: so wäre kaum begreiflich, wie eine in sich so zweifelhaltige einer wahren inneren Erkenntnifs

Catholico semper id defendere studeat oportet, singulos librorum sacrorum auctores spiritu S. ductos unam eandemque et fidei et morum doctrinam, licet forma varia ac diversa conceptam, praedicare; atque illos, qui doctrinam Paulinam inter et Joanneam et Petrimam etc. multum discriminis esse statuunt, prorsus refutabit. Deinde interpres Catholicus eodem iure ac acatholicus ad textum originarium recurrit (cf. §. 9. et 10.), omnesque ad sacrae scripturae interpretationem disciplinas necessarias adhibebit, ut verum atque genuinum inveniat sensum; contextum semper respiciet, locos cum locis, obscura cum manifestis comparabit, totusque in eo erit, ut ex ipsa s. scriptura petat intelligentiam. (§. 25. p. 97.) Neque interpres Catholicus in eo ab acatholico discrepat, quod ineptis allegoriis indulgeat, multo potius nunquam a sensu proprio recedet, atque ad figuratum transibit, nisi ratio evidens ac necessaria eum coëgerit. Cum autem interpres Catholicus pro natura s. scripturae et indole illis subsidiis ad sensum genuinum eruendum destitutus, ad ecclesiae traditionem, uberiorem doctrinae Christianae fontem confugit, ut auxilium inde petat, et differt ab acatholico et ei antecellit; (cf. §. 25. p. I. 96.) ita enim doctrinae severitatem bene exercet, atque historia teste ecclesia Catholica, hac interpretandi ratione tenaciter observata, magnum sane s. codicis abusum avertit. (cf. §. 22. p. 80.) Utraque

---

ermangelnde Erscheinung, blofs menschlich angesehen, zu solcher historischen Bedeutung hätte gelangen können, viel weniger, wie sie als göttliche **Offenbarung zu halten** sei.

denique ecclesia et Protestantium et Catholicorum interpretem ad suae ipsius ecclesiae fidem et obstringit et obstringere debet, nisi ab ecclesiae positivae auctoritate desistere velit. (cf. §. 11. p. 30.) Fides vero ecclesiae Protestantium non tali fundata est basi, qualis requiritur, ut auctoritatem habeat indubitatam. Summa est enim doctrinae christianae, qualem Reformatores ex sacra scriptura eam humana scientia et regulis hermeneuticis adhibitis constituerunt. Hinc illam plurimi et theologorum et laicorum cuiusvis doctrinae normam agnoscere noluerunt, atque cognovimus, quanta pernicies fidei Protestantium ecclesiae nata sit et adhuc immineat. (cf. p. 34. et seq.) Fides autem ecclesiae Catholicae non sacra scriptura sola ac unica basi atque scientia hominum et doctrina innititur, sed ipsius Spiritus S. testimonio est confirmata, quo duce s. scriptura composita est. Itaque indubitata auctoritate gaudet fides ecclesiae Catholicae, qua melior s. scripturae intelligendae norma nec cogitari potest nec habetur. Quo factum est, ut ecclesia Catholica tanta pericula tantamque perniciem, quae ecclesiae Protestantium admota sunt, atque imminent, admolita sit, et interpres Catholicus, suae ipsius ecclesiae principiis, sacram scripturam interpretandi, observatis, nunquam in eundem errorum labyrinthum abicrit, in quo Protestantium interpretes vagantes vidimus. Quae principia optima, et ad verum s. scripturae sensum inveniendum aptissima, ecclesia Catholica semper inviolata atque immutata tenuit et tenet; atque ego magnopere laetor, persuasionem meam, hac ipsa commentatione conscribenda, de illorum principiorum veritate redditam esse et certiorem et firmiorem.

ERRATA SIC EMENDA.

Pag. 36 versu 21 legendum pro:	scripturam — scriptura.
— 39 — 6 — —	scriptos — scriptas.
— 112 animadvers. 29 versu 8	abfuit — obfuit.
— 113 versu 4 post „queat" pone punctum duplicatum	siquidem non Si quidem.
— 113 — 25 legendum pro:	potius — potissimum.
in animadvers. 22 l. —	pag. 31 — num. 31.
— 115 — 24 l. —	c. 57 — et 57.
— 116 versu 4 legendum pro:	coneptam — conceptam.
— — — 8 — —	ac acatholicus — atque acatholicus.
— — — 24 delendum I.	
— — — 23 legendum pro:	confugit — confugerit.

MONASTERII, TYPIS FRID. REGENSBERG.

